SPICILEGIUM

ENTOMOGRAPHIAE ROSSICAE

AUCTORE

G. FISCHER DE WALDHEIM.

> Sapientissimi artis suæ professores sunt, a quibus et propria studia verecunde, et aliena callide æstimantur.
>
> VALERIUS MAXIMUS. VIII. 12.

Etsi multum abest, quin Entomographia Imperii rossici, species omnes novas hodie detectas contineat, — nam tum temporis, quo fuit incepta, non nisi raræ et incompletæ exstiterunt collectiones,— impulsum tamen dedit insignem, nova colligendi, definiendi, describendi. Celeberrimi viri, amore scientiæ ducti, ADAMS, BESSER, CHAUDOIR, EVERSMANN, FALDERMAN, FLEISCHER, GEBLER, HUMMEL, JAEGER, KARELIN, KRYNICKI, MANNERHEIM, MÉNÉTRIÉS, MOTSCHULSKY, STEVEN, ZUBKOFF, perplurimas detexerunt species insectorum, quæ, ad maximam partem in hoc dia-

rio descriptæ exstant. Itinera indefessa a Clar. Adams, Eversmann, Gebler, Jæger, Karelin, Kindermann, Motschulsky, Pander, Steven, Schrenk, Tams, Tauscher, Zablotzky instituta, complerunt collectionum divitias, quas itinineratores cum ipsi divulgarunt, tum aliis commiserunt.

ORTHOPTERA rossica a me collecta et descripta, in quarto volumine Entomographiæ rossicæ mox in lucem erunt prolatura.

NEUVROPTERA a Cl. Eversmann solerte fuerunt collecta et partim descripta.

HYMENOPTERA intacta restant, sed spero fore ut in Collega nostro Joanne Stepanide Bær editorem diligentem et adcuratum inveniant.

LEPIDOPTERA, Entomologis nostris distinctissimis, Eversmann, Ménétriés, Sodofsky, Gimmerthal observata debent egregia eaque nova.

DIPTERA non neglexerunt, Eversmann, Gimmerthal, Fischer.

HEMIPTERA sola hucusque examinatorem desiderant. Sed et ordo insectorum hic in colligendis hisce insectis Sibiriæ orienfalis a Sodali nostro Sedakoff non neglectus fuit, ita ut hæc collectio rite definita, conspectum hujus ordinis hucusque neglecti, nisi completum, sufficientem tamen offerre poterit.

Mihi proposueram hoc in spicilegio sola insecta Imperii rossici collectionis meæ indicare, quæ post editionem Entomographiæ rossicæ acquisivi et quæ mihi nova adparuerunt. — Dein consultius et utilius putavi exponere, nominatim certe, sed syste-

matice et critice, omnes insectorum rossicorum species, quæ et ab aliis fuerunt indicatæ et descriptæ. Mox vero tanti laboris mole obstupui,— denique ad primum propositum me revocavi.

Collectio insectorum Steveniana et Escholtziana, nunc Universitatis, complementum Faunæ insectorum rossicæ continent egregium et ditissimum. Variæ species prioris (*) brevi phrasi indicatæ, hic non repetendæ mihi visæ sunt. Ut taceam de mutatione nominum multarum specierum novarum collectionis meæ, quæ necessaria silentio prætereunda, ne synonymia perperam augeatur.

(*) Museum historiæ naturalis Universitatis Cæsareæ mosquensis. P. II. Insecta. Mosquæ. 1829. 8.

COLEOPTERA.

I. PENTAMERA.

* CICINDELINÆ.

CICINDELA *L.*

1. Cicindela *Burmeisteri.*

Tab. I. f. 1.

C. fusco-cærulea, fere nigrescens; capite thoraceque griseo pilosis; elytris opacis guttulis quatuor flavis.

Long. 8 lin. Lat. 3 lin.

Cicindela Burmeisteri, Fischer Catal. Coleopt. Karel. p. 4. n. 6.

Species insignis quandam offerens similitudinem cum *Cicindela aurulenta* Buquetii; e Columbia, sed elytris medio dilatatis, forma macularum et imprimis eximia mandibularum longitudine differt.

Caput tenuissime punctatum oculis magnis nigris nitidis. Antennæ albo-pilosæ, excepto articulo primo longo forti fusco nitido.

Clypeus magnus subcordiformis flavus. Mandibulæ basi fuscæ, apice flavæ. Longitudo apicum mandibularum est ratione latitudinis capitis sub

oculis ut 2 $^1/_2$ ad 2. Palpi fusci splendentes; medii et postici setis longis albis barbati.

Thorax profunde canaliculatus latere raro albo-pilosus, antice posticeque transversaliter profunde impressus sericeo-nitens.

Elytra medio subdilatata, tenuissime punctata, opaca, fusco-cœrulea, vel fere nigra, cum lumine debili cœruleo. Puncta vel maculæ flavæ quatuor ita sunt locatæ, ut axillaris paulo major sit vel linearis, secunda et apicalis verum punctum præsentet, media vero pyriformis adpareat. In *Cicindela aurulenta* omnia puncta majora sunt excepto axillari, minimo; signum intermedium ad formam fasciæ transversalis accedit.

Corpus fusco-cyaneum et splendens. Coxæ pedum anteriorum et pedes ipsi ita sunt albo-pilosi, ut color eorum verus vix adpareat; pedes intermedii et postici cœrulei, rarius sed longe pilosi. Spinæ duæ apicis omnium tibiarum longissimæ et late distantes.

Tarsi pedum anticorum pilis albis densis suffulti, reliquorum graciles elongati, vix pilosi.

Hab. in Songoria rossica. D. Karelin.

2. Cicindela *Kirilovii.*

Tab. I. f. 3.

C. viridescens, capite thoraceque subæneis; elytris opacis, punctis axillaribus subdistinctis, fascia media et lunula apicali albis.

Long. 4 lin. Lat. 2 lin.

Maximam habet affinitatem cum C. *descendente*, (Entom. ross. III. 36 Pl. I. f. 5. Bullet. VIII. p. 160. Pl. VI. f. 1.). sed magnitudine aut potius forma angustiore, colore et delineatione differt. Minor est *descendente* et angustior. Caput viridi-æneum, levissime punctatum, oculis magnis globosis prominentibus fuscis nitidis. Inter oculos carina albo-notata satis elevata. Clypeus triangularis, basi et apice fuscus, medio flavus. Antennæ capite thoraceque longiores, æneæ.

Thorax canaliculatus cum impressionibus vulgaribus videtur gracilior et extensior quam in *descendente*.

Elytra obscure viridi-ænea, fere nigrescentia, rude punctata ; punctis binis axillaribus, *descendenti* deficientibus, fascia media oblique descendente vix undulata, (sub-sinuata in *descendente*) et lunula apicis albis, quæ hic crassior in C. *descendente* gracilior adparet.

Corpus infra cyaneum, splendens , pedes graciles nihil observationi offerunt.

Hab. in Songoria rossica. (D[nus] Karelin).

3. Cicindela *lacteola* Pallas.

C. supra virescens ; elytris rarissime granulatis, margine apiceque late intus subundulato sordide albis ; abdomine cyaneo.

Pallas Icon. Tab G. f. 28.
Gebler, Bullet. de Moscou XIV. 1841, p. 577. N. 407.

Long. 6. lin. Lat. 3. lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	1—2'/.	1	3'/.
Lat.	1 '/.	2	3

Nota. Cum in Cicindelis caput geniculatum sit, mensuræ duæ indicandæ sunt, prima longitudo superior, usque ad oculos; secunda facialis s. ab oculis ad apicem mandibularum.

Caput viridi-æneum nitens, subtilissime punctatum, oculis globosis prominulis, nigris. Clypeus latus flavus. Antennæ breves, vix capite thoraceque longiores, articulo primo fortissimo nitenti, reliquis subtilissime griseo-pilosis. Palpi longe albopilosi, ultimo articulo nudo nitido.

Thorax æneus nitens, subtilissime punctatus, profunde canaliculatus. Elytra viridescentia opaca subtilissime granulata, margine late sordide albo, interne vix undulato. Pectus viridi-æneo nitens longe albo-pilosum. Abdomen cyaneum. Pedes ænei nitentes; crura longe albo-pilosa; tarsi postici fasciculatim albo-pilosi.

Hab. in Songoria, Karelin; prope Nor-Saisan, Gebler.

4. Cicindela *Schrenkii* Gebler.

Tab. I. f. 2.

C. cupro-ænea nitens, elytris cupreo fuscis subopacis sutura nitente; margine flavo, interne subundulato; abdomine cæruleo.

Gebler, Bull. de l'Acad. des Sc. de St. Pétersbourg 1841.

Long. 6 lin. Lat. 2 1/3 lin.

Ratio partium:

	capitis	*thoracis*	*elytrorum*
Long.	3/4—2	1 1/3	4
Lat.	1 1/2	1 1/4	2 1/6

Caput æneum nitidum, linea verticis paulo elevata. Oculi fusci, valde prominentes. Palpi fusco-ænei, nudi.

Thorax æneus cum impressionibus vulgaribus. Scutellum abbreviatum, subtriangulare, basi dilatatum.

Elytra angustata a basi ad apicem, obscure ænea opaca, sutura ænea nitente, margine late flavo, apice paulo coarctata, intus subundulato. Prosternum cyaneum, nitidum latere dense albo piloso. Abdomen ejusdem coloris et splendens. Pedes omnes viridi-ænei, graciles, nitentes, pilis imo setis griseis ubique tectis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

* CARABICI.

CARABUS. *L.*

* *granulati, granulis elevatis.*

5. Carabus *Strophium.*

C. æneus; thorace transverso, crebre punctulato; elytris obovatis granulatis, granulis elongatis distantibus triplici serie, lineis intermediis subtiliter crenuatis; margine reflexo viridi-æneo.

Long. 9 lin. Lat. 3 ½ lin.

PROPORTIO PARTIUM:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	1 ½	2	6
Lat.	1 ½	2 ½	3 ½

Carab. Strophium, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 4. N. 14.
Car. tuberculatus, Ménétriés in literis.

Caput nigrum nitidum punctatum antice utrinque impressum. Antennæ longitudine capitis thoracisque, articulis primis nigris nitidis, reliquis obconicis arcte conjunctis griseo-pilosis. Oculi prominentes globosi fusci.

Thorax æneus nitidus punctatus; late marginatus, canaliculatus; postice impressione lineari transversa. Prosternum in conum longum productum, tenue sulcatum.

Elytra obovata fusco-ænea opaca, marginibus dilatato-reflexis viridi-æneis, granulata, granulis, fuscis elongatis, elevatis, nitidis; lineæ intermediæ

elevatæ crenulatæ s. strophii rosacei ad instar subtiliter granulatæ.

Corpus infra et pedes nigri picei nitoris.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

6. Carabus *microchondrus.* (*)

C. obscure æneus; thorace transverso marginato punctato; elytris obovatis granulatis, granulis inæqualibus, longioribus elongatis cum minoribus ovatis alternantibus.

Long. 11 lin. Lat. 5 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2	2 $^1/_2$	6 $^1/_2$
Lat.	1 $^1/_2$	3	3 $^1/_4$

Carabus microchondrus, Fischer Cat. Col. Karel. p. 5. n. 18.

Caput nigrum nitidum, antice cum impressionibus vulgaribus. Antennæ elongatæ; capite thoraceque longiores, articulis arcte connexis.

Thorax transversus punctis scaber, late marginatus, supra canalicalatus, postice cum impressione vulgari. Anguli marginis producti et paulo extrorsum versi. Prosternum latum intumidum, medio impressum, in conum obtusum terminatum.

Elytra obovata opaca granulata, granulis anticis et posticis elongatis, intermediis ovatis mino-

(*) Χονδρος, granum, μικρος, parvus.

ribus. Margines late reversi seriem punctorum impressorum contiguorum gerentes.

Corpus et pedes nigri nitidi.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

7. Carabus *duarius.*

C. parallelus obscure æneus ; thorace transverso subcordato punctato; elytris parallelis punctatim scabris, granulatis, granulis triplici serie, lineis intermediis elevatis utrinque ab alia depressiore concomitatis.

Long. 7 lin. Lat 2 ¹/₄ lin.

Proportio partium :

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2	2	5
Lat.	1 ¹/₄	3	2 ¹/₂

Carabus elongatus, Fisch. Cat. Col. Karel. p. 4. N. 13.

Propter denominationem nimis relativam nomen mutatum fecit.

Caput productum nigrum nitidum, subtilissime punctulatum, cum impressionibus anticis vulgaribus. Antennæ capite thoraceque multo longiores, articulo primo incrassato, cylindrico admodum longo, tertio æquali.

Thorax æneus transversus, punctatus, canaliculatus, marginatus, marginibus late reflexis et postice productis. Prosternum basi latum, latere pli-

catum, inter pedes parum angustatum, recta truncatum.

Elytra parallela obscura seriebus tribus granulorum vulgaribus, sed lineæ intermediæ elevatæ et incrassatæ duabus aliis utrinque concomitantur, depressioribus, debilioribus.

Corpus et pedes nigri nitidi.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

8. Carabus *gemellus*.

C. thorace subcordiformi marginato subtilissime punctato; elytris granulatis, granulis elevatis irregularibus elongatis hinc illinc gemellis, triplici serie.

Long. 10 lin. Lat. 4 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2 $^1/_4$	2	6
Lat.	1 $^1/_4$	4	4

Magnitudine Car. Kruberi, Bungii, sed elytris parallelis magis elongatis eorumque sculptura nulli accedens.

Caput elongatum tenuissime punctatum, opacum, ante oculos impressionibus profundis. Antennæ nitentes, articulo primo magno conico, secundo et tertio valde abbreviatis.

Thorax transversus subcordatus, marginibus postice valde dilatatis et productis, tenuissime pun-

ctatus, opacus, medio supra canaliculatus, antice posticeque emarginatus, tenue flavo-ciliatus.

Elytra parallela, leviter marginata, punctis elevatis rugosa. Triplex series granulorum elevatorum ita est formata, ut granula quædam longiora, alia hinc illinc duplicata sint.

Corpus intra nigrum et piceum.

Hab. in Caucaso.

** *punctati, punctis impressis*,

9. Carabus *Guerini.*

C. æneus nitidus; thorace cordato viridi æneo; elytris oblongo-ovatis punctatis, punctis latis impressis triplici serie; sulcis intermediis tenuissime punctatis.

Long. 11 lin. Lat. 6 lin.

Proportio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2 ½	2 ½	7
Lat	2	4	5

Carabus Guerini, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 4. N. 12.

Variat magnitudine. Caput admodum dilatatum, nigrum, nitidum, collo æneo, latere irregulariter impressum, medio canaliculatum. Mandibulæ fortissimæ, supra excavatæ. Mentum triplicatum. Antennæ fortes subfiliformes, articulis primis quinque nigris nitidis, reliquis coarctatis lanie grisea tectis.

Thorax cordatus marginatus, viridi-æneus, latere granulatus, medio supra canaliculatus, antice emarginatus flavoque cinctus, postice recta truncatus, marginibus prominentibus reflexis. Prosternum dilatatum, transverse sulcatum.

Elytra oblongo-ovata, cupro-ænea, nitida, punctata, punctis majoribus impressis triplici serie, serie prope suturam paulo minus profunda. Interstitia sulcata sunt et sulci punctulati.

Corpus infra nigrum nitoris picei. Pedes ejusdem coloris, femoribus valde incrassatis, punctis irregularibus impressis.

Nomen illi tributum in honorem Cl. Guerin-Meneville, Directoris Societatis Cuvieriani, Entomologiæ aliarumque partium Historiæ naturalis solertissimi promotoris.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

10. Carabus *Erichsonii.*

C. thorace viridi-æneo; elytris cupreis longitudinaliter striolatis, punctis impressis triplici serie, media punctis subquadratis adproximatis, externis minus profundis distantibus.

Long. 9 lin. Lat. 3 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2	2	5
Lat.	1 ½	2 ½	3

Forma et habitus præcedentis. Caput æneum, impressionibus lateralibus profundis. Palpi anteriores longissimi. Antennæ basi nigræ splendentes versus apicem obscuræ, lanugine grisea tectæ.

Thorax viridi-æneus marginibus reflexis, antice parum emarginatus, postice recta abscissus, angulis parum prominentibus. Prosternum elevatum, in conum terminatum.

Elytra cuprea subparallela, striolata et punctata, punctis subquadratis impressis triplici serie; series intermedia punctis majoribus adproximatis formata, suturalis et marginalis punctis minus profundis et distantibus. Margines punctulati, reflexi, subviolacei.

Corpus infra nigrum, piceum; pedes ejusdem coloris et nitoris.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

11. Carabus *Sedakovii.*

C. obscure æneus, fere fuscus; thorace subquadrato, marginibus reflexis; elytra obovata, longitudinaliter sulcata, punctis latis crebre impressis triplici serie.

Long. 10 lin. Lat. 4 lin.

Proportio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum*
Long.	2 ¹/₄	2	6
Lat.	2	4	4

Caput nigrum nitens, antice longitudinaliter profunde impressum, et latere punctatum, oculis fuscis. Mandibulæ fortes, antice incurvæ supraque profunde impressæ. Palpi articulo ultimo valde dilatato. Antennæ articulis crassioribus, primo multo-majori, sequentibus tribus fere æqualibus, nitidis, reliquis obscuris lanie fusca tectis.

Thorax subquadratus latere parum dilatatus, margine tenui reflexo, supra punctis irregularibus subrugosus, latere et postice subtiliter punctatus, medio vix canaliculatus s. vestigio canalis , antice posticeque parum emarginatus. Prosternum valde dilatatum, sulco profundo medio.

Elytra obovata fusca opaca, seriebus trinis punctorum latorum æneorum impressorum, inter quas lineæ tres elevatæ læves. Margo reflexus, punctis impressis scaber, cupreus.

Corpus et pedes nigro-picei, cruribus punctatis, tibiis anticis apice incrassatis, oblique truncatis, spinis binis incurvis obtusis.

Hab. in Dauria. D. Sedakof.

12. Carabus *tibialis.*

C. niger, thorace transverso, late marginato; elytris oblongo-ovatis, seriatim punctatis, punctis obscure impressis triplici serie; tibiis anticis subincurvis, apice triangulariter extensis.

Long. 13 lin. Lat. 3 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long	3	3	7 ½
Lat.	2 ¼	4 ½	5

Carabus tibialis, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 5.

C. hungaricus, mingens, gastridulus, tibialis primo intuitu tantam habent affinitatem ut difficillime rite distingui posse videantur. *Tibialis* tibiis anterioribus subincurvis, prosterno profunde impresso, tandem magnitudine cognoscitur.

Caput extensum nigrum nitidum antice latere profunde impressum. Oculi grisei. Antennæ nihil notatu dignum offerunt nisi quod primus articulus, totus cylindricus, cum tertio gracili obconico æqualis sit longitudinis.

Thorax transversus punctis crebris scaber, medio canaliculatus, late marginatus, angulis posticis prominulis, postice submarginatus transversim sulcatus. Prosternum magnum intumidum, conice prolongatum, medio sulco profundo. Scutellum breve subtriangulare, rugosum.

Elytra oblongo-ovata, subopaca, seriatim punctata, punctis obsoletis impressis triplici serie. Tertia marginalis vix conspicua. Margo tenuiter reversus, punctis scaber, postice rotundatus.

Corpus infra nigrum nitoris picei.

Mentum globulo nitente ornatum. Prosternum dilatatum, in conum productum, medio fossa pro-

funda oblonga exsculptum. Pedes postici graciles. antici fortes, coxis magnis semilunaribus, femoribus punctis impressis, tibiis subincurvis, versus apicem triangulariter intumidis, processu obtuso primum articulum tarsorum tegente, spina retrolocata opposita mobili.

Hab. in Sibiria orientali. D. Karelin.

13. Carabus *sphodrinus.*

C. subparallelus niger opacus; thorace quadrato sublyrato; elytris subparallelis postice parum dilatatis, regulariter lineatis, punctis inæqualiter impressis triplici serie: prima suturali (*) *distincta, intermedia obscura, tertia marginali dimidiata.*

Long. 9 lin. Lat. 3 ½ lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2	3	6
Lat.	2	3	3 ½

Cum. C. Germari forma et habitu comparari potest.

Caput elongatum nigrum opacum antice intu-

(*) Cum series punctorum elytrorum semper ita sint locatæ ut prima distet a sutura et tertia a margine, spero fore ut termini *suturalis* et *marginalis* etiam *prope suturam, prope marginem* intelligantur.

midum, latere profunde sulcatum, oculis prominentibus griseis. Antennæ articulo primo cylindrico longo nitido, reliquis gracilioriobus obscuris.

Thorax quadratus, latere antice parum dilatatus, sublyratus, margine parum reflexo, supra canaliculato, punctulato, antice parum emarginatus, postice recta abscissus, ante marginem sulco transverso. Prosternum planum, inter pedes recta truncatum.

Elytra parallela versus apicem parum dilatata, apice subacuminata, supra tenuiter lineata, lineis elevatis, et punctis impressis triplici serie, prima prope suturam regularis et oculis nudis distinguenda, intermedia obscura, tertia s. marginalis incompleta, versus apicem tantum conspicua. Margo leviter reflexus, versus apicem utrinque paulo excisus.

Corpus infra nigrum, nitoris picei; pedes ejusdem coloris et nitoris.

Hab. in Rossia meridionali.

14. Carabus *parallelus.*

C. parallelus ater nitidus, thorace quadrato marginibus reflexis; elytris elongatis glabris nitidis, apice punctatim scabris, punctis simplicibus impressis triplici serie.

Long 10 $^1/_2$ lin. Lat. 4 lin.

PROPORTIO PARTIUM:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	3	2	8
Lat.	2	2 $^1/_2$	4

Forma et habitu cum C. Neesii HOPE convenit, in hoc tamen thorax ad lyriformem accedit.

Caput glabrum nitidum oculis prominulis griseis. Antennæ capite thoraceque multo longiores.

Thorax quadratus convexus glaber nitidus, marginibus reflexis, angulis posticis productis, antice posticeque parum emarginatus. Canalis dorsalis abbreviatus. Scutellum parvum medio sulcatum. Prosternum magnum, conicum, apice subemarginatum.

Elytra thorace vix latiora glabra nitida; submarginata, hinc illinc versus apicem punctura rugulosa. Puncta impressa triplici serie distant imprimis in tertia. Ceterum adhuc quarta series punctorum impressorum minorum et adproximatorum in margine residet.

Corpus et pedes ut in reliquis. Femora anteriora valde intumida, facie interna serie punctorum impressorum.

Hab. in Rossia meridionali.

15. CARABUS *Karelini.*

C. niger nitidus; thorace cordato, marginato, postice alato; elytris ovato-subelongatis punctato-

scabris punctisque impressis obliteratis triplici serie.

Long. 9 $^1/_2$ lin. Lat. 3 $^3/_4$ lin.

Proportio partium : (*)

	capitis,	*thoracis,*	*clytrorum.*
Long.	2 $^1/_4$	2 $^1/_2$	7
Lat.	2	4	3 $^1/_4$

Carabus Karelini, Fischer Bull. 1830. II. p. 186.

Intermedius inter *campestrem* et *seriatoporum*.

Caput latum nigrum splendidum clypeo abbreviato ; fronte lineis duabus impressis basi conjunctis, latere impressionibus vulgaribus.

Thorax cordatus punctatus nitidus, marginibus reflexis angustis, postice in alas productis. Canalis dorsalis vestigium tantum. Margo anticus posticusque recta abscissus. Prosternum latum in conum terminatum, in fossa profunda mesosterni articulatum.

Elytra elongata subparallela postice rotundata, margine tenui reflexo. Supra punctato-rugosa. Ceterum puncta impressa triplici serie.

Corpus infra nigrum, fere opacum. Pedes anteriores fortissimi ; tarsi eleganter a basi ad apicem gradatim dilatatis, unguiculis longis.

Hab. in Rossia meridionali.

(*) Si mensura partium generalem excedit, cogitandum est, caput plus minusve inclinatum caussam esse.

16. Carabus *Krynickii*.

C. niger; thorace cordato; elytris obovatis punctato-sulcatis punctisque quadratis impressis triplici serie.

Long. 13 lin. Lat. 6 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	3	3 1/2	7 1/2
Lat.	3 1/4	5	5 1/4

Major in hac Caraborum divisione, ceterum punctis quadratis impressis elytrorum, admodum latis facile cognoscendus.

Caput nigrum rugosum. Exceptis impressionibus lateralibus alia media frontis forma V. Antennæ, articulo primo longissimo, fortissimo, tertio longiori

Thorax cordiformis s. transversus marginibus late reflexis angulis posticis valde productis; supra canaliculatus, antice posticeque fere recta abscissus. Scutellum latissimum, totum spatium inter angulos thoracis productos sibi sumens, subtriangulare, postice granulatum. Prosternum magnum convexum, inter pedes utrimque plicatum, apice truncatum.

Elytra obovata elongata opaca, punctis quadratis latis impressis triplici serie. Sulci intermedii, semper terni, crenulati. Margo reflexus seriem contiguam punctorum impressorum continet.

Corpus et pedes nigri parum nitentes.

Hab. in Rossia meridionali; Odessæ.

Vellem ut denominatio hæc honorem memoriæ conservet, defuncti professoris Charcoviensis Krynicki de Entomolagia imprimisque de molluscorum studio in Rossia optime meriti.

*** *foveolati.*

17. Carabus *cicatricosus.*

C. niger, opacus; thorace transverso; elytris foveolatis, foveis crebris continuis subæqualibus seriatim positis et granulis elevatis oblongis seriebus binis prope suturam utrimque.

Long. 10 lin. Lat. $4\,^1/_4$—5 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	3	$2\,^1/_2$	$6\,^1/_2$
Lat.	$2\,^1/_2$	$3\,^1/_2$	$4\,^1/_2$

Carabus cicatricosus, Fischer Cat. Col. Karel. p. 5. n. 17.

Species singularis et valde notanda propter foveas elytrorum profunde exsculptas easque quadratas et seriatim contiguas.

Caput magnum productum rugosum nigrum splendidum, oculis parum prominulis. Palpi fortissimi, ultimo articulo prolongato, apice dilatato. Antennæ capite thoraceque vix longiores, primis

quinque articulis fortibus nigris nitidis, reliquis subito gracilioribus lanugine fusca tectis.

Thorax transversus rugosus, antice posticeque emarginatus, latere marginibus parum reflexis. Scutellum latum abbreviatum, postice rotundatum granulisque quibusdam elevatis obsitum: Prosternum latum, fere triangulare, fossa profunda exsculptum.

Elytra thorace vix latiora subparallela, medio parum dilatata, prope suturam utrimque binis seriebus granulorum elevatorum tecta; his sequuntur quinque series fossarum contiguarum quadratarum profunde impressarum. Margo tenue reflexus, postice rotundatus.

Corpus infra et pedes ut in reliquis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

NEBRIA Latreille.

CARABUS *F.* Alpœus Bonelli.

18. Nebria *splendida*.

N. viridi-et cœruleo-ænea, splendida; thorace cordato, elytris angustiore; elytris subparallelis, lineatis, lineis elevatis punctisque impressis triplici serie.

Long. 8 lin. Lat. 2 ½ lin.

Nebria splendida Fischer, Cat. Col. Karel. p. 5. n. 20.

Caput æneum splendidum, impressionibus fron-

talibus duabus parallelis, antennis oculisque nigris.

Thorax cordatus canaliculatus, antice posticeque transversaliter impressus; subemarginatus, marginibus limbatis, latere lato marginatus angulis posticis parum productis. Scutellum triangulare basi dilatatum. Prosternum acuminatum valde abbreviatum.

Elytra thorace vix latiora lineata, lineis elevatis, quarta, sexta, octava punctis quatuor impressis interrupta, marginibus tenuibus reflexis. Corpus infra et pedes nigri, griseo-pilosi.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

19. Nebria *exarata.*

N. fusca, parum nitens; thorace cordato dilatato nitido; elytris oblongo-ovatis punctis impressis irregularibus rugosa.

Long. 6 $^{1}/_{4}$ lin. Lat. 3 lin.

Caput nigrum nitidum, impressionibus, frontali transversa, lateralibusque profundis obliquis. Thorax cordatus dilatatus, latitudine fere elytrorum, profunde canaliculatus, latere late marginatus, limbo tenui reverso, angulis posticis productis. Scutellum triangulare brevissimum. Prosternum elevatum, basi intumidum, apice truncatum.

Elytra oblongo-ovata, postice subacuminata,

punctis crebris irregularibus impressis exarata et rugosa. Margines parum reflexi.

Corpus et pedes nigri parum nitentes.

Hab. in Rossia meridionali. D. Kindermann.

20. Nebria *Wiedemanni.*

N. nigro-fusca, parum nitens thorace cordato dilatato; elytris oblongo-ovatis, lineatis, lineis omnibus punctis impressis indistincte notatis; antennis crassioribus, articulis apicis longe pilosis.

Long. 7 lin. Lat. 2 ½ lin.

Caput nigrum, piceum, impressionibus frontalibus, antice punctis impressis rugosum. Palpi picei tenues. Antennæ vulgo crassiores nigræ, articulo primo permagno cylindrico, reliquis obconicis, articulatione pilis longis obsitis, articulis ultimis lanie grisea tectis.

Thorax cordatus, cum impressionibus vulgaribus; margines laterales ejus late reversi angulis posticis parum productis. Scutellum breve conicum medio sulcatum. Prosternum basi valde elevatum, apice emarginatum.

Elytra thorace vix latiora lineata, lineis elevatis, omnibus punctis quibusdam raris hinc illinc notatis. Margines laterales tenue reflexi.

Corpus et pedes nigri picei.

Hab. in Anatolia. D. Wiedemann.

CHLÆNIUS Bonelli.

HARPALUS *Gyll.* CARABUS *F.*

21. Chlænius *angustatus.*

Chl. niger; thorace elongato-angustato, sublyrato; elytris sulcatis; antennis pedibusque nigris.

Long. 4 lin. Lat. 2 lin.

Forma ad. *Chl. cæruleum* Steveni et *Stevenii* Schoenherr accedit, ast magnitudine et habitu intermedius est.

Caput nigrum viridi-nitens, oculis griseis.

Thorax subquadratus, elongatus, canaliculatus, marginibus tenue reflexis, postice impressionibus profundis triangularibus.

Corpus et pedes nigri picei, graciles.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

22. Chlænius *coxalis.*

Chl. capite thoraceque viridi-æneus; elytris subnigris opacis sulcatis; antennis pedibusque flavis, coxis posticis longissimis.

Long. 6 lin. Lat. 3 lin.

Caput viridi-æneum splendens, oculis nigris; antennis palpisque flavis.

Thorax subquadratus, nitidus, canaliculatus, latere parum marginatus, impressionibus posticis conicis profundis.

Elytra glauca aut subnigra, opaca, lineata, lineis parum elevatis, marginibus parum reflexis cœruleis.

Corpus nigrum piceum. Pedes ferruginei, coxis posticis longissimis.

Hab. in Georgia.

PRISTONYCHUS Dejean.

Sphodrus, Bonelli.

23. Pristonychus *amœnus*.

P. apterus, cyaneus; thorace cordato postice profunde impresso; elytris oblongo-ovatis, subconvexis, striolatis, striis lævibus; tibiis intermediis rectis.

Long. 7 lin. Lat. 3 ¹/₄ lin.

Pr. venusto similis videtur, sed elegantia formæ striisque elytrorum simplicibus aut lævibus ab eo differt.

Caput elongatum nigrum splendidum, antennis palpisque nigris. Oculi magni planulati nigri.

Thorax elongato-cordatus, profunde canaliculatus posticeque impressus, marginibus late reflexis, postice angulis productis.

Elytra oblongo-ovata, basi profunde et late emarginata, striata, striis impressis lævibus, interstitia elevata planulata hinc illinc striis transversis notata.

Corpus nigrum piceum ; pedes ejusdem coloris. *Hab.* in Rossia meridionali. D. Kindermann.

ACINOPUS Ziegler.

Carabus *Duftschmidt* ; Harpalus *Sturm* ; Scarites *Olivier*.

24. Acinopus *clypeatus.*

A. subcylindricus, ater, nitens ; thorace quadrato; elytris lævibus apice striatis ; clypeo magno producto, apice rotundato.

Long. 6 ½ lin. Lat. 3 lin.

Magnitudine A. *megacephali.* Caput thorace paulo angustius, glabrum, nigrum nitidum antice irregulatiter impressum. Oculi magni globosi prominentes nigri. Clypeus magnus productus, antice rotundatus tribusque plicis indistinctis notatus, mandibulas fere totas tegens.

Thorax subquadratus postice paulo angustatus et impressionibus lateralibus, supra canaliculatus, latere submarginatus.

Elytra parallela glabra nitentia, apice distincte tenue striata.

Hab. prope mare Caspium. D. Karelin.

25. Acinopus *rufitarsis.*

A. elongatus, parallelus, niger subnitidus ; thorace subtransverso; elytris striatis; antennarum articulo primo tarsisque ferrugineis.

Long. 8 lin. Lat. 3 lin.

Caput postice angustatum inter antennas profunde impressum; antice impressione subquadrata. Clypeus subquadratus, antice parum emarginatus. Antennæ primo articulo ferrugineo, reliquis palpisque nigris.

Thorax subtransversus longitudine latior, postice canaliculatus et utrimque impressus. Canalis non nisi posticam thoracis partem penetrat. Margo utrimque tenue limbatus.

Elytra profunde sulcata.

Pedes nigri, tarsis ferrugineis.

Hab. in Rossia meridionali.

26. Acinopus *spinipes.*

A. latus depressus; thorace transverso; elytris striatis; tibiis omnibus valde spinosis, intermediis incurvis.

Long. 10 lin. Lat. 5. lin.

Magnitudine *A. Ammophili* Steven, sed thorace transverso, latere parum reflexo, striis elytrorum simplicibus aliisque characteribus differre videtur.

Caput magnum productum, antice subrugosum, clypeo magno lato, subemarginato, margine rufociliato. Oculi albi. Antennæ articulo primo nigro, reliquis piceis s. subferrugineis.

Thorax transversus limbis lævibus, in *Ammo-*

philo distincte marginatus; margine lato dilatato, postice rotundato, subcanaliculatus, latere parum arcuatus.

Elytra parallela, striata, striis elegantibus simplicibus octo.

Corpus nigrum, piceum, nitidum.

Pedes nigri, tarsis piceis s. ferrugineis, tibiis setosis vel spinosis, intermediis incurvis.

Hab. in Rossia meridionali.

* MALACODERMATA.

PODABRUS Fischer.

CANTHARIS *Linnaei.*

27. Podabrus *nigriventris.*

P. elongatus, angustatus; capite thorace pedibusque flavis, antennis, oculis abdomineque nigris.

Long. 3 lin. Lat. 1 lin.

Caput flavescens, nutans, oculis nigris; antennæ corporis longitudine, articulis primis quatuor flavis, reliquis nigris.

Thorax flavus, marginatus, antice punctis duabus fuscis obliquis notatus, medio convexus, postice transversim impressus.

Elytra parallela flavo-grisea opaca, impressione axillari utrinque.

Corpus nigrum. Abdominis articulationes supra

punctis flavis angularibus notati. Pedes flavescentes.

Hab. Volhyniæ. D. Besser.

28. Podabrus *vittatus.*

P. elongatus, angustatus; capite thoraceque flavis; elytra fusco-grisea, flavo-limbata, vittata, vittis binis obscuris nigrescentibus, altera media, altera marginali.

Long. 3 lin. Lat. 1 lin.

Forma et habitus præcedentis. Caput nutans flavescens, oculis prominentibus nigris.

Thorax submarginatus flavus impressione postica triangulari profunda.

Elytra obscure grisea, albo marginata, vittis binis obscuris nigrescentibus, altera medio, alteraque margine.

Pectus nigrum, abdomen et pedes flavi.

Hab. in Tataria magna. D. Pander.

29. Podabrus *lunulatus.*

P. flavo-fuscus; thorace marginato nitido, medio nigro-maculato; elytris pallidis, lunula apicis nigra.

Long. 4 ½ lin. Lat. 1 ½ lin.

Caput nutans fuscum, oris partibus pallidiori-

bus. Antennæ basi nigræ, medio pallidæ, apice fuscæ.

Thorax marginatus fuscus splendidus, maculis linearibus duabus obliquis nigris medio.

Elytra pallide fusca, subpunctulata, apice nigro-cincta sive lunula nigra terminata.

Corpus pallidum. Pedes pallide flav.

Hab. in Rossia meridionali. D. Boschniak.

30. Podabrus *flavipes.*

P. angustatus fuscus, splendidus; thorace suborbiculari; elytris subpilosis, pedibus ferrugineis. Magnitudine præcedentis.

Podabrus flavipes Fischer Cat. Col. Karel. p. 8. n. 53 *

Societati unicum misit individuum e Songoria Cl. Karelin.

Ceratistes; *nov. gen.*

a *Κερατιστης*, cornutus.

Antennæ inæquales, serrato-setaceæ, primis quinque articulis crassioribus, hoc vel alio articulo valde dilatato, hamato.

Palpi acuminati.

Mandibulæ breves, acutæ, dentatæ.

Glypeus latus, transversus, bicarinatus, antice emarginatus.

Mentum valde dilatatum, antice emarginatum; cum clypeo partes oris arctissime constringens.

Caput dilatatum, thorace latius, oculis magnis prominentibus; frons distincte cornuta, aut subtuberculata, cum facie geniculata, sive angulum faciens, Cicindelarum ad instar. Antennæ distantes sub quarum insertione impressio triangularis plerumque alius coloris, partem clypei superioris constituens. Thorax rotundatus, latere marginatus, postice angustatus.

Elytra thorace latiora parallela, apice acuminata, corpore maris breviora.

Pedes longissimi, postici corpore totius animalis longiores.

Femina fronte plerumque mutila antennisque simplicioribus.

31. Ceratistes *cornutus.*

C. viridi-æneus; thorace flavo-marginato; ore elytrorumque apice flavis; fronte maris cornuta.

Long. 2 lin. Lat. 1 lin.

Malachius cornutus Steven; Fischer Mus. Universit. II. Ins. Steveniana. p. 42.

Dejean, Catal. éd. 3. p. 122.

Species elegans et observatione digna, propter formam angustatam, maris frontem cornutam et formationem antennarum singularem.

Caput nutans aut potius geniculatum, vertice dilatato viridi-æneo, oculis magnis prominentibus

fuscis. Frons lævis splendens medio cornu conico obtuso munita. Os et partes oris flavæ. Antennæ nigræ nitidæ, articulis primis crassioribus serratis, quinto ita dilatato, ut hamatus aut cornutus adpareat; reliqui obconici, setacei, lanugine grisea tecti.

Thorax rotundatus viridi-æneus splendens, flavo tenue marginatus. Elytra thorace latiora viridi-ænea opaca subpunctulata, apice flavo. Corpus viridi-æneum splendens. Pedes longissimi, femoribus æneo-viridi-splendentibus, tarsis flavis.

Femina convenit colore cum mari, exceptis fronte et antennis inermibus.

Hab. in Tauria; Cel. Steven; in Sibiria Cl. Gebler.

32. Ceratistes *bipustulatus.*

C. totus viridi-æneus, fronte subtuberculata; elytrorum apice flavo.

Magnitudine et forma præcedentis.

Malachius bipustulatus, Fabr. Syst. Eleuth. 1. 306. 4.
Gyllenhal, Ins. suec. 1. 358. 2

Hab. in Tauria, in Sibiria.

MALTHINUS Latreille

CANTHARIS, *L. Fabr.*

33. Malthinus *aquestris.*

M. parallelus; capite thoraceque viridi-æneis; elytris rufis, fascia et apice nigrescenti-æneis.

Long 2 ¹/₂ lin. Lat. 3 lin.

Malachius equestris, Victor MOTSCHULSKY in literis.

Magnitudine *M. biguttati* MANNERHEIM, caput vero et thorax latitudinis æqualis, viridi-æneum. Thorax quadratus, pulvinatus, latere paullo extensus.

Hab. in *Tauria*, D. MOTSCHULSKY.

DASYTES FABR.

MALYRIS. OLIVIER.

34. DASYTES *analis*.

D. niger splendidus; thorace pulvinato vix villoso, elytris nigris, punctato-rugosis, pilis raris adspersis, margine apiceque ferrugineis.

Long. 2 lin. Lat. 1 ¹/₄ lin.

Dasytes marginatus, FISCHER, Cat. Col. Karel. p. 9. n. 55 *

Nomen mutavi propter *Das. marginatum* ULLRICH, (DEJEAN Cat. p. 125. STURM. Cat. p. 82) quem non vidi, quem tamen diversum a nostro suspicor.

Caput declive nigrum. Thorax pulvinatus, postice dilatatus, et transversim impressus, niger splendidus, brevissime aut vix hirsutus.

Elytra thoracis latitudine, nigra, subpubescentia, punctato-rugosa, sutura limbo elevato glabro, marginibus tenue apiceque late ferrugineis.

Corpus nigrum piceum. Pedes pallidi.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

TRICHODES Herbst.

CLERUS, *Latreille.*

35. Trichodes *axillaris.*

T. cœruleus ; capite thoraceque griseo-pilosus ; elytris punctatis, margine axillari et laterali ad dimidium usque guttisque apicis coccineis.

Long. 5 lin. Lat. 2. lin.

Trichodes axillaris, Fischer. Cat. Col. Karel. p. 9. n. 56.

Magnitudine *T. illustris* Steven aut *punctati* Dejean.

Caput et thorax profunde cœrulea pilis densis et longis obsita. Antennæ, oculi palpique nigri.

Elytra punctato-subrugulosa nitentia, læte cœrulea, margine axillari et laterali usque ad medium elytri ubi in fasciam dimidiatam desinit et gutta quadrangulari utrinque coccineis.

Pectus et corpus subcœrulea ænea.

Pedes cœrulei.

Tr. punctatus puncta in medio et in apice coccinea habet ; margo ejus coloris expers est. Puncti loco in *Tr. axillari* fascia abbreviata adest.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

CLAVICORNES.

NECROPHORUS Fabr.

SILPHA *L.*

36. Necrophorus *lunatus.*

N, niger ; thorace pulvinato, marginato; elytris nigris subcostatis, fascia semilunari coccinea, antennarumque capitulo flavescente.

Long. 8 lin. Lat. 5 lin.

Necrophorus lunatus, Fischer Cat. Col. Karel. p. 9. n. 59.

Necrophoro Vespillone paullo minor.

Caput magnum exsertum nigrum, impressionibus lateralibus linearibus obliquis. Antennæ nigræ, clava magna ovata, capitulo piloso pallide flavo.

Thorax latere late marginatus, postice rotundatus, medio supra convexus et antice lineis duabus impressis angulo cum semicanali mediano, forma Y, sese conjungentibus.

Elytra oblonga, parum convexa, nigra, subnitida, medio fascia lata semilunari coccinea, postice truncata.

Corpus nigrum piceum. Pedes ejusdem coloris. *Hab.* in Songoria. D. Karelin

CRYPTARCHA, Schukart.

NITIDULA *Fabr.*

37. Cryptarcha *strigata.*

C. fusca; thorace pulvinato, (*) *margine flavo-limbato; elytris margine, lunula baseos, fasciaque obliqua apicis flavescentibus.*

Long. 2 lin. Lat. 1 lin.

Cryptarcha strigata, Sturm Cat. p. 46.
Nitidula-strigata, Olivier Ins. II. Pl. 2 f. 7.
Nitidula strigata Fabr. Eleuth. I. 350 n. 12.
Panzer, Faun. germ. 83. 4.
Strongylus strigatus, Herbst, Col. IV. t. 47 f. 7.
Paykul, Faun. suec. I. 315 p. 12.

Hab. in Tauria, Curonia.

38. Cryptarcha *sulcata.*

C. tota nigra; thorace pulvinato, punctulato; elytris obsolete sulcatis.

Long. 2 lin. Lat. 1 ½ lin.

Caput declive magnum.

Thorax transversus, punctulatus, convexus, tenuissime punctatum.

(*) Thorax *pulvinatus,* terminus *Gyllenhalii*, designans thoracem *ubique declivem.*

Elytra nigro-fusca, opaca, obscure sulcata, limbo tenui flavescente.

Corpus nigrum piceum. Pedes anteriores nigri, postici pallidi.

Hab. in Rossia meridionali (Sarepta.) D. KINDERMANN.

* LAMELLICORNES.

ONITIS *Latreille.*

39. ONITIS *Sophax.*

O. niger; thorace valde dilatato, punctulato; elytris fuscis costatis, costis tribus valde elevatis, incrassatis.

Long. 10 lin. Lat. 5 1/4 lin.

PROPORTIO PARTIUM:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum.*
Long.	2	4	5
Lat.	2 1/2	5	5 1/2

Forma thoracis ad *Damœtam*, elytrorum ad *Amyntam accedit.*

Caput nutans nigrum, fronte transversa, nodulis elevatis sex, medio punctis impressis rugosum. Clypeus magnus extensus subsexangularis, antice limbo tenui reflexo.

Thorax magnus pulvinatus, punctato-rugosus, niger, postice rotundatus impressionibus duabus

vulgaribus, latere rotundatus limbo tenui reflexo.

Elytra latere subsinuata, supra costata, costis tribus incrassatis elevatis, subincurvis, una suturali, altera mediana, tertia marginali. Basis elytrorum initio costarum incompletarum crenulata, apex eorum vestigio costarum distincto. Spatium intermedium inter costam suturalem et medianam punctis impressis scabrum, prope suturalem series punctorum elevatorum; spatium intermarginale costis minus elevatis et punctis impressis repletum.

Corpus nigrum opacum. Pedes fortissimi nigri nitidi; femora intermediorum quam maxime dilatata, posticorum subincurva, planulata, punctis impressis obsita, basi spinis utrimque longissimis munita, latere interno lamina compressa linea impressa distincta, spinis donata.

Hab. in Sibiria orientali. D. KARELIN.

ONTHOPHAGUS LATREILLE.

COPRIS *Fabr.*

40. ONTHOPHAGUS *tricornis.*

O. thorace æneo-cupreo, antice emarginato; occipite trispinoso, spina media longa erecta, lateralibus, brevioribus, obtusis; elytris pallide fuscis, obsolete sulcatis, nigro punctatis.

Long. 8 lin. Lat. 3 lin.

Magnitudine O. *nutantis* Fabr.

Caput magnum nigro-æneum, clypeo magno medio tuberculo elevato, antice margine reflexo, occipite nitente lamina elevata tres spinas gerente, media longa erecta, basi fortiori, lateralibus brevioribus, obtusis. Partes oris ciliis longis ferrugineis obsitæ.

Thorax cupro-æneus, pulvinatus, subtilissime punctulatus, latere marginato, medio nodulo parvo, antice profunde et late emarginato.

Elytra pallide ferruginea, striata s. sulcata, sulcis obtusis deplanata, punctis s. maculis nigris seriatim adspersis. Corpus nigrum piceum. Pedes nigri nitidi. Prosternum lineis duabus elevatis medio; mesosternum valde dilatatum, utrimque lineis elevatis tenuioribus.

Femina thorace subtuberculato, tuberculis duabus parum elevatis; occipite lamina elevata, medio emarginata, angulis elevatis acuminatis.

Hab. in Rossia meridionali. D. Zwick.

41. Onthophagus *specularis*.

O. thorace æneo bituberculato; occipite cylindrice excavato, speculari; clypeo lato subconico, margine antico valde reflexo; elytris substriatis, pallide ferrugineis, punctis quibusdam nigris.

Long. 6 lin. Lat. 3 lin.

Marc caremus ad speciem rite difiniendam.
Hab. in Caucaso.

APHODIUS, Illiger, Fabr.

SCARABAEUS *L.*

42. Aphodius *hirtipes.*

A. niger nitidus ; capite unituberculato ; thorace transverso convexo; elytris sulcatis, postice setis brevibus hirtis ; tibiis omnibus utrinque pilosis.

Long. 3 lin. Lat. 1 lin.

Magnitudine *Aphodii conspurcati F.*

Caput crassum nigrum nitidum, tuberculo frontali , clypeo subemarginato.

Thorax transversus, æneo-niger , nitidus, latere tenue marginatus.

Elytra fusca, sulcata, sulcis profundis simplicibus, apice setosa.

Corpus nigrum nitidum. Pedes nigri, tibiis omnibus utrinque setis longis hirtis.

Hab. in Rossia meridionali. Ekatherinengrad. D. Haupt.

43. Aphodius *gonagricus.*

A. niger nitidus capite mutico , thorace transverso convexo glabro ; elytris pallidis sulcatis,

sulcis simplicibus; tibiis posticis externe tuberculatis.

Long. 4 lin. Lat. 2 lin.

Magnitudine *Aph. fimetarii* F, capite paullo magis abbreviato.

Caput nigrum nitidum muticum clypeo extenso antice margine reflexo.

Thorax transversus convexus, subtilissime punctulatus, marginibus paullo magis dilatato-reflexis. Elytra abdomine breviora, pallida, sulcata, sulcis binis posticis nigrescentibus.

Corpus nigrum nitidum. Pedes ejusdem coloris tibiis posticis subincurvis, latere externo trituberculatis.

Hab. in Dauria.

CYPHONOTUS Fischer.

MELOLONTHA *Fabr.* CATALASIS *Dejean.*

Genus propositum in Entomographia rossica. II. 215. 1823.

Hodie acceptum, mutato nomine *Catalasis* ab illustr. Comite Dejean, Cat. ed. 3. 1837. p. 176. et a Cl. Sturm, Cat. 1843. p. 121.

44. Cyphonotus *Anketeri s. testaceus.*

C. elongatus cylindricus convexus punctulatus, totus fuscus, commissura thoracis pallide villosa.

Long. 1 poll. 4 lin. Lat. 5 lin

Entomographie de la Russie. II. 212, 213. tab. XXVIII. f. 4.
Cyphonotus testaceus, Krynicki, Bull. de la Soc. I. 1829. p. 192.
Edit. gallica. (Bibliothèque entomologique) p. 57.
Melolontha Anketeri, Herbst Col. III. 43. 3. t 22. f. 4.
Melolonthæ pilosæ varietas, Schönherr, Syn. III. 176.
Scarabaeus testaceus, Pallas, Icon. p. 19. t. B. f. 22.

Caput magnum clypeo majori reflexo, supra punctulato, infra piloso, apice emarginato. Antennæ facie postica pilosæ. Palpi articulis primis pilosis, ultimo nudo.

Thorax subquadratus pulvinatus tenue marginatus, medio supra impressione lineari transversa, postice subemarginatus, albo-s. flavo-ciliatus. Scutellum magnum subconicum, apice rotundatum, medio canaliculatum.

Elytra convexa punctulata, postice seorsim rotundata, abdomine breviora.

Corpus fuscum, setis raris obsitum. Facies superior abdominis dense albo-villosum. Pedes fortes nigro-fusci, tibiis omnibus externe tridentatis. Tarsi longissimi, articulis omnibus utrinque setosis, ultimo unguicali longiori, nudo, unguibus debilibus.

Hab. in Caucaso.

45. Cyphonotus *Monachus*.

C. fuscus; thorace transverso pulvinato punctulato

nitido, ubique pilis longis albis cinctis ; elytris fuscis opacis, punctulatis, basi distincte, supra obliterate sulcatis.

Long. 17 lin. Lat. 4 lin.

Cyphonotus Monachus, Krynicki, Bull. I. c. p. 192. ed. gall. p. 17.

Caput parvum fuscum punctulatum opacum, clypeo abbreviato reflexo, non emarginato. Oculi nigri. Partes oris fuscæ, non pilosæ.

Thorax transversus convexus, tenue punctulatus, latere antice posticeque pilis longis albis cinctus. Scutellum forma præcedentis sed quadrisulcatum.

Elytra pallide ferruginea opaca, tenuissime punctulata, basi distincte supra obliterate sulcata.

Corpus nigro-fuscum opacum. Pedes ferruginei splendidi, tibiis anticis tridentatis, intermediis spinosis, posticis subcylindricis, apice dilatatis, excavatis, spinis duabus longis et fortibus.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

46. Cyphonotus *thoracicus.*

C. ferrugineus opacus ; capite late-marginato; thorace pulvinato punctulato, dorso fossulis tribus transversim profunde impressis ; elytris punctatis, obliterate sulcatis.

Long. 8 lin. Lat. 4 lin.

Cyphonotus thoracicus, (*) Krynicki Bull. l. c. p. 192. Ed. gall. p. 58.

Caput breve, tenue punctulatum, clypeo lato rotundato reflexo.

Thorax transversus, pulvinatus, punctulatus, foveis tribus dorsalibus impressis, transversim locatis. Scutellum conicum, basi valde dilatatum, apice acutum. Pectus ferrugineo pilosum.

Elytra, corpus, pedes forma præcedentis conveniunt.

Hab. in Rossia meridionali. Sarepta. D. Zwick.

47. Cyphonotus *macrophyllus*.

C. fuscus, capite margine punctatum; thorace transverso subconvexo, ciliis albis cincto; elytris punctulatis obliterate sulcatis; antennarum capitulo longiori compresso.

Long. 7 lin. Lat. 4 lin.

Caput transversum latum breve, punctulato-rugosum, clypeo rotundato late reflexo. Oculi nigri. Antennæ pallidæ, capitulo compresso vulgo longiori.

Thorax transversus convexus splendens, subtilissime punctulatus. Loco canalis dorsalis linea lævis nitida. Pectus longe albo-pilosum.

(*) *Cyphonotum thoracicum* et *Monachum* Cl° Krynicki hisce nominibus communicavi.

Elytra pallidiora, punctulata, obliterate sulcata.

Corpus fuscum opacum, lanugine fusca obsitum, ano nigro.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

48. Cyphonotus *affinis.*

C. fuscus; capite magno opaco punctatim rugoso; thorace transverso convexo, canaliculato; elytris distincte sulcatis seriatimque punctatis.

Long. 7 lin. Lat. 4 lin.

Magnitudine præcedentis, quocum magnam offert affinitatem. Sed thorax distincte canaliculatus et elytra sulcata et seriatim punctata eum facile distinguunt.

Caput valde dilatatum, clypeo lato reflexo, subemarginato. Capitulum antennæ æque compressum accedit magnitudini praecedentis.

Thorax distincte canaliculatus, totus pilosus, marginibus ferrugineo ciliatis. Foveæ obliteratæ adparent quatuor transversim locatæ.

Pectus longe pilosum.

Elytra distincte sulcata, medio seriatim punctata, latere punctis crebris rugosa.

Corpus fuscum opacum. Pedes pallidiores, femoribus et tibiis punctatis, punctis impressis.

Hab. ibidem cum præcedente.

Nota. Cl. Krynicki *Melolontham farinosam* Eschscholtz omni jure ad genus Cyphonoti traxit Bull. l. c. p. 192. Ed. gall. p. 57.

CETONIA *Fabr.*

49. Cetonia *proctotricha.*

C. viridi-æneo-nitens; supra tota viridi-smaragdina; ano longe albo-setoso.

Long. 10½ lin. Lat. 6 lin.

Cetonia Proctotricha, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 13.

Caput prolongatum, punctulatum, medio cavernosum, antice angustatum, clypeo reflexo, oculis nigris.

Thorax dilatatus elongatus subtriangularis, subtilissime punctulatus parum convexus, antice emarginatus, postice rotundatus. Scutellum triangulare longum acutum.

Elytra dense et profunde punctata, marginibus subciliatis.

Corpus viridi-æneum nitidum, pectore longe piloso, pilis ferrugineis.

Lamina inferior analis setis longis obsita. Pedes viridi-ænei femoribus anticis et intermediis longe albo-pilosis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

50. Cetonia *fasciata.*

C. cupreo-ænea, infra nitida, supra opaca; thorace albo limbato; elytris punctatis, fasciis geniculatis interruptis albis.

Long. 10 lin. Lat. 7 lin.

Magnitudine fere præcedentis ita ut eam pro varietate adultiore habuerim, nisi basis elytrorum magis dilatata, corpus inferius nitens et pilosum, denique delineatio elytrorum me de contrario convicerint.

Caput æneum nitidum, profunde punctulatum, antice magis dilatatum, clypeo reflexo emarginato.

Thorax æneus opacus profunde sed rarius punctulatus, formæ vulgaris, latere albo marginato. Color hic sub lente pilis lævibus albis constitutus videtur.

Elytra ænea opaca punctata, basi dilatata, sinu laterali albo cincto, apice fasciis binis geniculatis interruptis albis.

Corpus æneum nitidum. Pectus subpilosum, prosterno obtuso, metasternum medio sulcato, sulco lato profundo.

Pedes ænei splendidi, femoribus intermediis et mesosterno longe pilosis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

II. HETEROMERA.

* MELANOSOMATA.

PIMELIA *Fabr.*

51. Pimelia *marginata.*

P. nigra, thorace transverso punctulato; elytris oblongo-ovatis granulatis, granulis seriatim dispositis.

Long. 7 $^1/_2$ lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Caput magnum punctatum opacum, clypeo abbreviato antice subrotundato ciliato. Antennæ fortiores breviores.

Thorax transversus punctulatus opacus, antice emarginatus, albo-breviciliatus, marginatus, marginibus tenue reflexis. Prosternum latum apice truncatum fossulatum.

Elytra oblongo-ovata, granulata, granulis planis subdistantibus regulariter seriatim dispositis. Margo subcrenulatus.

Corpus nigrum opacum glabrum.

Pedes graciles.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

PTEROCOMA Solier.

Pimelia Sarpæ Fisch. Solier Annal. V. 46.

PACHYSCELIS *Solier.*

52. Pachyscelis *Karelini.*

P. nigra ; thorace transverso glabro nitido ; elytris ovato-globosis granulatis , granulis irregulariter approximatis variolosis, marginibus crenulatis.

Long. 10 lin. Lat. 6 lin.

Caput exsertum glabrum , clypeo magno quadrato basi granulato. Antennæ articulo secundo vulgo longiore, sequentibus obconicis, ultimo globoso, acuminato.

Thorax transversus glaber , antice parum emarginatus; ciliis ferrugineis donatus. Prosternum basi dilatatum , linea undulata impressa, apice truncatum, emarginatum.

Elytra ovato-globosa, granulosa, granulis elevatis irregulariter et dense coarctatis variolosa. Sutura elevata lævis. Margines laterales crenulati , late amplectentes abdomen , limbo inferiori lato lævi.

Corpus nigrum opacum, granulis torulosum. Pedes omnes granulis horridi. Tibiæ anticæ late sulcatæ, apice valde dilatatæ, exceptis spinis internis obtusis, adpendice externa longissima. Tarsi dila-

tati utrinque spinosi, unguibus debilibus; postici angustiores longiores.

Hab. in Turcomania. D. KARELIN.

OCNERA, FISCHER.

ab ὀκνηρος, lentus, piger.

Entomographie de la Russie I. 169. 1822.

Trachyderma Latreille, Cuvier Règne anim. IV. p. 7 1829.

53. OCNERA *lepidacantha.*

O. nigra; thorace elongato-quadrato, subtilissime punctulato; elytris oblongo-ovatis granulato-scabris, granulis elevatis coarctatis squamato-spinosis triplici serie.

Long. 10. lin. Lat. 6. lin.

Ocnera lepidacantha, Bull. II. 1830. p. 187. edit. gall. p. 97.

Caput magnum subquadratum opacum, clypeo quadrato a facie impressione disjuncto, nitido, impressionibus lateralibus obliquis aut medio elevato convexo. Antennæ articulo tertio et quarto, facie interna setis sensim gradatimque longioribus munitis.

Thorax quadratus convexus, latere medio rotundatus, submarginatus, subpunctatus opacus. Prosternum basi rotundatum, convexum, in conum longum obtusum productum.

Elytra granulosa, granulis concinnis elevatis duplici serie, interstitiis excavatis granulato-scabris, marginibus crenulatis aut squamato-spinosis. Pars amplectens abdomen inferius lineam adhuc fert elevatam granulorum squamato-spinosorum. Limbus hujus partis est lævis lateque sulcatus.

Corpus subtilissime granulatum. Pedes debiles.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

54. Ocnera *granulata.*

O. nigra; thorace quadrato, granulato, marginibus lateralibus subrotundatis; elytris oblongo-ovatis granulatis, granulis elevatis concinnis seriatis, marginibus vix crenulatis.

Long. 10 lin. Lat. 5 lin.

Caput exsertum granulatum, clypeo antice rotundato, postice impressione lineari a facie sejuncto.

Thorax quadratus, marginibus subrotundatis, granulis parvis scaber. Prosternum latum convexum, apice truncatum emarginatum.

Elytra oblongo-ovata, granulata, granulis parum elevatis, seriatim et anguste dispositis; margines laterales subcrenulati, margines abdominales late sulcati.

Corpus subgranulosum opacum. Pedes graciles granulis horridi.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

TRIGONOSCELIS Solier.

Pimelia nodosa Fischer Ent. ross. I. 149. t. 14. f. 3.

55. Trigonoscelis *echinata*.

Tr. nigra; thorace quadrato, marginato, angulis anticis productis; elytris oblongo-ovatis, granulatis, marginibus spinosis.

Long. 9 lin. Lat. 4 lin.

Pimelia echinata, Karelin, in literis.

Magnitudine *Tr. nodosæ*, a qua differt forma thoracis et dispositione granulorum in elytris quæ in *nodosa* distant inter se et seriebus distantibus locata sunt.

Caput magnum exsertum subquadratum rugosum, clypeo angusto quadrato basi granulato, apice emarginato.

Thorax quadratus punctulatus marginatus, marginibus tenue reflexis, antice in apicem productis. Prosternum latum in conum obtusum desinens.

Elytra oblonga ovata, granulata, granulis subseriatim dispositis, seriebus inæqualiter alternantibus majoribus et minoribus. Margines laterales spinosi.

Corpus nigrum opacum.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

LASIOSTOLA Dejean.

Hirta, Pimelia, Fischer Entom. ross. I. 152. Pl. XIV. f. 5.

56. Lasiostola *heterogena.*

L. suborbicularis, thorace quadrato granulato; elytris granulato-scabris.

Long. 6 lin. Lat. 3 lin.

Etsi antennæ, partes oris formaque corporis hujus speciei cum Lasiostolis conveniunt, defectus hirsutiei extraneus videtur, propterea quod *heterogena* nominata fuit.

Caput exsertum punctatum opacum, clypeo obtuse conico. Oculi globosi prominuli.

Thorax quadratus, latere parum marginatus, punctatus opacus. Prosternum rotundatum cono brevi terminatum.

Elytra subacuminata, postice declivia, tenuissime granulata.

Corpus nigrum opacum.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

ADESMIA Fischer.

Pimelia Fabr. Herbst.

Cf. Bulletin de la Soc. Vol. VIII. 1835 p. 310 – 316. Pl. VIII.

PLATYOPE Fischer.

Pimelia, Akis Fabr. Tenebrio Pall.

Species rossicæ hucusque cognitæ sunt sequentes:

57. Platyope *granulata.*

Entomogr. ross. 1. 161. Pl. XV. f. 1.
Dejean, Cat. ed. 3. p. 199.
Sturm, Cat. ed. 1843. p. 142.
e Tartaria, Sibiria: Nor-Saisan.

58. Platyope *proctoleuca.*

Entomogr. ross. 1. 164. n. 3. t. XV. f. 3.
Dejean, Cat. ed. 3. p. 199.
e Sibiria: Bukhtarminck.—Nor-Saisan.

59. Platyope *leucographa.*

Entomogr. ross. I. 163. n. 2. t. XV. f. 2.
Tenebrio leucographus, Pallas, Icon. 1. 54. t. C. f. 20.
Tenebrio leucogrammus, Pallas Iter App. 719. n. 43.
Dejean Cat. ed. 3. p. 199.
Sturm, Cat. ed. 1843. p. 142. Faun. german. 2. 195. t. 43.
Pimelia leucographa Fabr. Ent. syst. I. 105. 30
Herbst Coleopt. VIII. 103 56. t. 124. f. 4.
Panzer Faun. germ. I. 38. 2.
Linnæi Syst. ed. Gmelini IV. 2012. 83.
Akis leucographa, Fabr. System. Eleuth. I. 136. 7.
Schönherr, Synon. I. 140. 14.

Nota. Platyope leucogramma Eschscholtz a Cl.

Sturm (Cat. p. 142.) teste Gebler, (Ledebour, Reise. II. 3. 116.) pro vera specie, ab Illustr. Com. Dejean (Cat. ed. 3. p. 199) pro varietate *leucographæ* habetur. Equidem *Pl. leucogrammam* marem esse *Pl. leucographæ* crediderim.

60. Platyope *lineata.*

Pimelia lineata Fabr. Ent. syst. I. 105. 219.

Platyope dichotoma, Fischer, Bullet. II. 1830. p. 187. ed. gall. p. 97.

Sepidium lineatum, Thunburg, Nov. spec. insect. 6. 18. n. 16.

Olivier, Ins. 51. Pl. 2. f. 20.

Herbst Coleopt. t. 124. f. 3.

Akis lineata, Fab. Syst. Eleuth. I. 136. 6.

Hab. Sibiriæ prope fluv. Irtysch.

61. Platyope *obliterata.*

Pl. thorace transverso, granulato-scabro; elytris granulatis, granulis magis elevatis duplici serie, lineis tomentosis abbreviatis albis apicalibus.

Long. 5 lin. Lat. 4 lin.

Caput inclinatum granulatum, fronte transversim impressa, clypeo nitente quadrato antice dilatato et paullo incurvo. Oculi parvi plani fusci. Antennæ graciles nigrescenti-nitentes, articulo primo longiore, nec crassiore reliquis.

Thorax transversus utrinque impressus, marginibus antice prominentibus, granulis elevatis sca-

ber, sæpius impressione medio profunda, (nisi accidentali)? Prosternum basi dilatatum, in conum subgranulatum obtusum desinens, apice emarginatum.

Elytra crebre et dense granulata, seriebus binis magis elevatis, lineis tribus abbreviatis albo-tomentosis apicalibus. Margines laterales crenulati. Pars amplectens abdomen lineas duas albo-tomentosas gerit, alteram angustiorem, alteram latiorem.

Corpus nigrum opacum tomento vix sensibili albo obductum. Pedes nigri nitidi, tibiis anticis apice valde dilatatis, margine externo multispinoso s. multidentato. Pedes postici reliquis longiores, tibiis simplicibus, tarsis valde dilatatis inferius longe setosis.

Hab. Sibiriæ prope lacum Inderskoe.

62. Platyope *unicolor*.

Platyope unicolor Eschscholtz Zoubkov, Bull. I. 1829. p. 150. t. 19. f. 7.

Dejean, Cat. ed. 3. p. 199.

Sturm, Cat. ed. 1843. p. 142.

Platyope Karelini, Krynicki, Bull. 1. c. p. 193. n. 21. (ed. gall. p. 58).

Cl. Krynicki observationem addit: « Olim pro nova habui specie, sed nunc observatione amicissimi Karelini persuasus, eam feminam *Pl. leucographæ* esse agnosco. » Sive in observatione sive in ejus expressione error regnare videtur. Insectum multo *minus Pl. leucographæ* non potest esse

femina ejus. Ceterum a Cl. Karelin marem *leucographæ* accepi, minorem certe, sed lineis albo-tomentosis plus minusve distinctis feminæ similibus.

63. Platyope *collaris.*

Pl. nigra tota tomento levissimo albo adspersa; thorace transverso, granulis inæqualibus aspro, profunde canaliculato; elytris granulatis, granulis elevatis triplici serie, marginibus subcrenulatis, reflexis.

Long. 5 lin. Lat. 3 $^1/_2$ lin.

Species unica quæ canali thoracis dorsali aut potius fossa profunda sese distinguit.

Caput vix granulatum, opacum. Antennæ crassiores, articulo primo magis incrassato. Palpi geniculati, ultimo articulo elongato-ovato acuminato.

Thorax transversus valde rugosus dorso fossa, loco canalis, impressus. Margines anticus et laterales nigri nitidi, posticus declivis. Prosternum basi latum, cono plano, truncato terminatum.

Elytra plus acuminata apice reliquis, granulata, granulis elevatis triplici serie. Margines subcrenulati, subreflexi aut potius subdilatati. Pars amplectens abdomen, granulata, costata, costis tribus subelevatis, planulatis.

Pedes debiles, similes iis *obliteratæ*, tibiis anticis subincuvis, dictincte sexdentatis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

DIESIA Fischer.

Entom. rossica. I. 166- 169. Pl. XIV.

64. Diesia *Karelini.*

D. nigra, opaca; thorace quadrato convexo, marginato; elytris marginatis granulatis; tibiis anticis octo-dentatis.

Long. 9 lin. Lat. 5 lin.

Forma et sculptura elegantissima species majorque reliquis cognitis. Caput magnum convexum punctulatum nutans, epistomate angustato antice acuminato, labro magno splendido, antice dilatato, recta truncato, subintumido.

Thorax quadratus, convexus, punctulatus, latere limbatus, antice posticeque leviter sinuatus, ferrugineo ciliatus. Scutellum magnum, triangulare, rude.

Elytra parallela, inferius abdomen late amplectentia, facie ista prope marginem granulata, medio costata, costa lævi; facies superior granulata, granulis elevatioribus duplici serie, sutura impressa; latere marginata, margine elevato, granulato.

Corpus opacum subpulverulentum. Pedes graciles; antici prosterno magno, medio sulcato, apice elevato, acuminato, sejuncti; tibiæ octo-ad decemdentatæ s. spinosæ. Tarsi gracillimi, ultimo articu-

lo subnodoso, unguibus longis, tenuibus, distantibus.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

TENTYRIA Latreille.

65. Tentyria *Kindermanni.*

T. convexa, ovata, nitida; thorace orbiculato, glabro; elytris elongato-ovatis sulcatis, sulcis longitudinalibus et transversalibus undulatis sese decussantibus.

Long. 7 lin. Lat. 3 $^1/_2$ lin.

Caput magnum, exsertum, vertice nitido, epistomate transverso, labro brevi, antice rotundato. Antennæ articulis inæqualibus, articulo primo crasso longo cylindrico, secundo abbreviato obconico, tertio longitudine priorum utrorumque, cylindrico, reliquis obconicis longitudine subæqualibus; ultimi tres globosi.

Thorax orbicularis convexus glaber nitidus, fovea rotunda postice impressus.

Elytra elongato-ovata splendida, sulcata, sulcis impressis undulatis longitudinalibus et transversalibus; sulci longitudinales versus apicem in series, punctorum impressorum abeunt.

Corpus subnitidum. Pedes fortes. Prosternum dilatatum leviter sulcatum.

Hab. in Rossia meridionali; prope Sarpam. D. Kindermann.

ANATOLICA Eschscholtz.

Denticulata; sulciceps, Gebler, Conf. Bull, 1841. Vol. XIV. p. 591—592.

66. Anatolica *torulosa.*

A. Opaca; thorace quadrato; elytris ovatis, punctis latis seriatim impressis, torulosis.

Long. 5 ½ lin. Lat. 2 ½ lin.

Caput latum porrectum, epistomate foveolis impresso; labro lato apice rotundato.

Thorax transversus, antice paullo dilatatus, postice restrictus, punctulatus, sulco medio dorsali lato parum profundo impressus.

Elytra ovata, latere punctulata, medio punctis aut potius foveis bina serie impressis.

Corpus nitidum. Pedes graciles, opaci. Prosternum elevatum angustum, medio profunde sulcatum.

Hab. in Dauria.

67. Anatolica *thoracica.*

A. depressa, splendida; thorace transverso, fossa dorsali, lata et profunda; elytris ovatis, dorso planis prope suturam costatis, latere declivibus punctulatis.

Long. 6 lin. Lat. 2 ½ lin.

Caput latum nitidum, epistomate obliterato; labro quadrato, apice emarginato.

Thorax transversus, lateribus subparallelis, angulis posticis exsertis, acutis, medio fossa dorsali magna, lævi, nitida.

Elytra ovata, subdepressa, costis suturalibus elevatis utrinque, latere declivia punctulata.

Corpus nitidum. Pedes fortes.

Prosternum dilatatum, apice elevatum, sulcatum.

Hab. in Bucharia.

68. Anatolica *angulosa.*

A. opaca, thorace transverso, antice posticeque angulis liberis; elytris ovatis subpunctulatis nitidis.

Long. 4 lin. Lat. 2 lin.

Caput latum opacum, antice punctis duobus impressum; epistomate triangulari antice reflexo, intumido, labro quadrato brevi, antice ciliato.

Thorax transversus, convexus, punctulatus, opacus, angulis omnibus distinctis liberis. Fossula loco scutelli.

Elytra ovata, abbreviata, lævia nitida; subtilissime punctulata.

Corpus sericei-nitoris. Pedes debiles. Prosternum latum, sulcis linearibus utrinque.

Hab. in Sibiria, Nertschinsk.

RHOSTAX. N. GEN.

ῥωσταξ, a ῥώω sustineo.

Ore porrecto.

Mentum subglobosum, convexum, nitidum, antice rotundatum, pedunculo quadrato insidens.

Palpi ultimo articulo obconico. Mandibulæ arcuatæ, basi fortes, apice subito acuminatæ.

Labrum transversum longum, protractum apice dilatatum intumidum, epistomate quadrato, angustato.

Antennæ-subfiliformes, externe paullo crassiores; articulo primo magno cylindrico, secundo brevi, tertio ad sextum subcylindricis, ultimis globosis, globulis sejunctis, ultimo obtuso.

Character formæ residet in thorace globoso postice valde restricto, quasi pedunculato. Magnitudine et forma admodum accedit *Anatolicæ macrocephalæ* TAUSCHERI, quam ad hoc genus retulerim, nisi thorax ejus globosus sessilis esset.

69. RHOSTAX *Karelini.*

R. elongatus, nitidus; thorace orbiculari convexo, postice longe restricto; elytris elongato-ovatis, glabris, nitidis.

Long. 4 lin. Lat. 1 ½ lin.

Caput longum, protractum, punctulatum, opacum; labro magno scabro, nitido, latere sulcato, antice dilatato, margine tumido.

Thorax orbicularis, convexus, lævis, postice coarctatus, quasi pedunculatus, scutello minimo.

Elytra elongato-ovata, glabra, nitida, postice sensim in conum obtusum abeuntia.

Corpus subopacum. Pedes graciles, anteriores intermediis adproximati. Prosternum abbreviatum, obtusum.

Hab. in Songoria. D. KARELIN.

70 RHOSTAX *Menetriesii.*

Rh. abbreviatus, nitidus ; thorace globoso, postice breviter restricto; elytris abbreviatis, ovatis, glabris nitidis.

Long. 4 lin. Lat. 1 $^1/_4$ lin.

Anatolica elegans MÉNÉTRIÉS in lit. n. 17.

Caput magnum exsertum glabrum, vertice transversim impresso; labro transverso, antice subemarginato.

Thorax globosus, postice angustatus, nitidus.

Elytra ovata, abbreviata, convexa nitida, sutura elevata.

Corpus subopacum. Pedes graciles, distantes inter se. Prosternum abbreviatum, elevatum apice et sulcatum.

Hab. in Rossia meridionali ; prope mare Caspium. D. KARELIN.

GNAPTOR Fischer.

γναπτωϱ a γναπτειν, rodere, fricare.

Tenebrio, Pallas. Sturm; Blaps Fabr.

71. Spinimanus, *Fischer* Mus. Univers. mosquens. 1829. II. p. 69.

Tenebrio spinimanus, Pallas icon. p. 53. Tab. C. f. 23.
Panzer, Faun. germ. 59. 1.
Blaps spinimana, Schönherr, Syn. Ins. I. 1. p. 145. n. 6.
Pimelia lævigata, Fabr. Syst. Eneuth. 1. 129. 5.
Pimelia glabrata, Herbst, Col. VIII. 56. n. 12. t. 120. f. 12.
Cochlodera spinimana, Eschscholtz, in Collect.
Gnaptor spinimanus Dejean, Cat. ed. 3. 208.
Faldermann, Faun. transcaucas. c. Mém. de la Soc. VI. 115.
Blaps spinipes, Fabr. Syst. Eleuth. I. 142. 5.

Hab. in Tauria.

Nota. Nescio quo casu nomen hujus generis a Cell. Dejean, Sturm, Faldermann, Clo. Megerle tributum fuerit.

BLAPS Fabr.

a βλαπτειν nocere. Vocabulum itaque *Blaps, blaptis* cum Fabricio nec *Blaps, blapis*, cum Illigero declinandum.
Tenebrio. *L.*

Blaptis genus etsi cognitissimum, speciebus tamen difficillime extricandum.

Corpus oblongum, convexum, robustum, marginatum, elytris connatis, abdomen infra ample

ctentibus, postice sæpius adpendiculatis s. mucronatis.

Nec alæ, nec scutellum (*) ultimus articulus palporum maxillarium securiformis. Antennæ heterogenæ, primis articulis septem obconicis, ultimis quatuor globosis.

Pedes fortes, femoribus compressis, inferius sulcatis.

Nocturna, in locis humidis, sub lapidibus plantisque putridis habitantia.

Character externus vix sexum divinari sinit. Mucro elytrorum longus aut abbreviatus utrique sexui proprius est. Femina tamen lamina abdominis ultima majore, basi dilatatiori, cognosci potest. Nam fasciculus setarum ferruginearum, sub primo articulo abdominis, quem feminæ tribuunt, quibus, lapides aut corpora dura terendo, mares allicere contendunt, (Heinecken, Zool. Journ. 18. p. 200) raro adest. Videtur adpendix externa, quæ cum partibus internis nullum habet nexum.

Si ad structuram et formam elytrorum, sæpius mucronibus plus minusve longis munitorum solam, respiciamus, copula horum animalium difficillime intelligeretur. Partes internæ quæstionem

---

(*) Præsentia scutelli in unica specie primæ sectionis mihi obvenit. Sunt quæ constanter scutellum possideant, ubi vero alii characteres novum genus, (certe subgenus *Peltarii*) creandi necessitatem imponere videntur.

propositam expediunt. Uterque sexus partes genitales possidet extensiles. Mas tubum longum, cylindricum, apice attenuatum ex abdomine exserere potest. Tubus iste capsula duplici sustentatur, quæ laminis binis basalibus, et mediis componitur. Laminæ basales, latiores, crassiores, supra et infra locatæ ita sunt dispositæ, ut lanimas medias, longiores tenuioresque et reliquum tubum in se recipere et condere possint. Dentibus terminatur duobus aut stylis depressis, medio exeuntibus.

Oviductus feminæ simplicior est et brevior. Tubus simplex exsertur inter laminas abdominis, apertus, æque bidentatus, sed dentibus brevioribus, lateralibus.

In specierum definitione nec color, nec declivitas elytrorum commemoratur. Ille semper niger hæc gradatim solummodo differt.

A. BLAPTES THORACE TRANSVERSO, MARGINATO.

72. Blaps *holconota.*

Bl. thorace transverso, marginato, levissime punctato; elytris sulcatis, sulcis subplanis, interstitiis punctatis, longe mucronatis.

Long. 13 lin. Lat. 6 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	2	3 $^1/_2$	12	2 $^1/_4$
Lat.	3	5 $^1/_3$	8	1

Blaps Gigas Fischer Entom. I. 184. t. XVI. f. 1.

Nomen gigantis improprium recusandum est. Numne hæc species ad *depressam* Klugii, secundum Com. Dejean (Cat. ed. 3. p.) referri debeat, affirmare nequeo, nam omnes hujus sectiones species sunt depressæ.

Labrum latum, antice rotundatum subemarginatum. Articuli antennarum globosi valde incrassati. Oculi semilunares.

Prosternum basi dilatatum, marginatum, inter pedes angustatum, apice intumidum, subglobosum, medio sulcatum. Metathorax punctato-sulcatus, apice elevatus.

Hab. in Desertis Kirgisorum.

73. Blaps *scutellata.*

Bl. thorace transverso, marginato, margine late reflexo, antice dilatato; profunde emarginato, postice scutello lato triangulari hirto; elytris sulcatis, sulcis et interstitiis profunde punctatis, mucronatis, mucrone abbreviato, apice hiante.

Long. 1'' 4''' Lat. 9 lin.

Ratio partium :

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	2 $^1/_2$	4	11	1 $^1/_4$
Lat.	2 $^1/_4$	4 $^1/_4$	8	1

Caput magnum exsertum punctulatum opacum,

labro angustato. Antennæ graciles, articuli globosi parum incrassati. Oculi parvi, ovati.

Thorax transversus, antice dilatatus, profunde emarginatus; marginatus, marginibus latis reflexis; supra punctatus, opacus, canaliculatus, impressionibus quibusdam irregularibus. Scutellum triangulare, basi latum, hirtum, pulverulento-griseum.

Elytra ovata, medio dilatata, mucronata, mucrone brevi, ramis distantibus, inferius punctis impressis scabris, supra sulcata, sulcis et interstitiis punctatis, latere limbo tenui reflexo.

Corpus subsericei nitoris. Prosternum basi dilatatum, marginatum, parte interpedali angustatum, elevatum, profunde sulcatum. Metasternum latissimum, transversim sulcatum. Coxæ triangulares. Pedes punctati. Pulvilli unguicales longi, apice dilatati.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

74. Blaps *stenothorax.*

Bl. thorace transverso, fere quadrato, opaco, antice posticeque impresso, marginato, marginibus reflexis, punctulato; elytris nitidis, medio dilatatis, seriatim punctatis, mucronatis.

Long. 1″ 4‴ Lat. 8‴

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	3	4	10 ½	1 ¼
Lat.	2 ¼	3	8	2

Caput porrectum, labro transverso, antice rotundato. Oculi elongati valde compressi.

Thorax transversus, elongato quadratus, opacus, antice impressus, medio paullo emarginatus, subcanaliculatus; tenuissime punctatus, postice impressione transversali, marginibus lateralibus medio late reflexis.

Elytra elongato-ovata, medio dilatata, nitida; costis binis subelevatis, dense seriatim punctatis, sutura impressa ad mucronem usque continuata; margines laterales in limbum acutum abeunt.

Corpus nigrum opacum. Coxæ pedum anteriorum fortes, cylindricæ, ita ut prosterno spatium angustum relinquant; hoc apice intumido elevato, sulcato. Pedes ut in reliquis. Pulvilli interunguicales abbreviato-dilatati.

Hab. in Tartaria magna. D. Pander.

75. Blaps *corrosa.*

Bl. thorace transverso, convexo, marginato; elytris elongato-ovatis, subparallelis, costatis, costis planis corrosis, latere punctatis, punctis impressis magnis profundis, mucronatis, mucrone debili, apice hiante.

Long. 1 poll. 4 $^1/_2$ lin. Lat. 7 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	3	3 $^1/_4$	10	1 $^1/_2$
Lat.	3	4	7 $^1/_2$	1

Caput exsertum, punctatum, ante oculos linea undulata impressum. Labrum transversum, antice dilatatum, emarginatum.

Thorax transversus antice dilatatus, gibbosus, marginibus lateralibus brevibus, subreflexis.

Elytra fere parallela, subnitida, costata, costis planis punctis impressis scabris et corrosis, interstitiis profunde et late punctatis, mucrone brevi, ramis supra sulco divisis, infra punctatis.

Corpus ut in reliquis. Pedes spinis abbreviatis scabri.

Hab. in Volhynia, Podolia australi, D. Besser; in Songoria, D. Karelin.

76. Blaps *deplanata.*

Bl. thorace transverso; marginato, antice emarginato; elytris medio valde dilatatis, dorso deplanatis, concinne seriatim punctatis, brevi-mucronatis.

Long. 13 lin. Lat. 6 ½ lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	2 ¼	3 ½	9	1 ¼
Lat.	2	4 ½	6 ½	1 ½

Blaps deplanata, Ménétriés. Cat. rais. zool. du Cauc. p. 199. n. 866.

Faldermann, Mém. de la Soc. de Moscou. V. 45. 316. t. VII. f. 1.

Nota. Non nisi unicum individuum possideo, sed

si casus affirmativus plures negativos rejicit, dici potest articulos antennorum esse inæquales, 4, 5, 6 crassiores reliquis.

77. Blaps *quinque-costata.*

Bl. thorace subquadrato, marginato, margine angustato; elytris elongato-ovatis, crebre punctatis, quinquecostatis, brevi-mucronatis.

Long. 1 p. 3 lin. Lat. 6 $^1/_4$ lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	2 $^1/_4$	2 $^1/_2$	9	1 $^1/_4$
Lat.	2 $^1/_2$	4 $^3/_4$	7	1

Caput exsertum, opacum, punctulatum, labro transverso antice bi-emarginato. Sextus articulus antennarum reliquis crassior.

Thorax transversus, marginibus restrictis, antice parum emarginatus, subcoriaceus.

Elytra elongato-ovata, mucronata, crebre punctata; costata, costis quinque planis subelevatis.

Corpus reliquis simile. Mesothorax bidentatus. Pedes glabri, tibiis anticis longitudine sulcatis. Pulvilli inter-unguicales valde abbreviati, vix percipiendi.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

78. Blaps *muricata.*

Bl. thorace transverso, marginato; elytris convexis, sutura impressa, confertissime rugosis.

Long. 13 lin. Lat. 7 lin.

Ratio partium:

	capitis,	*thoracis,*	*elytrorum,*	*mucronis.*
Long.	2	3	9	$^1/_4$
Lat.	2	4 $^1/_4$	7	1

Blaps muricata Fischer.

Faldermann, Mém. de la Soc. l. c. p. 46. n. 37.

Hab. in Sibiria orientali;—in Caucaso.

B. THORACE SUBROTUNDATO PULVINATO.

1. ELYTRIS SUBDILATATIS.

79. Blaps *Anthrax.*

Bl. thorace rotundato, convexo, nitido, limbo tenui; elytris oblongo-ovatis, medio dilatatis; rugosis, opacis, sutura impressa, brevi-mucronatis.

Long. 1 poll. 4 lin. Lat. 7 lin.

Blaps Anthrax Steven, Fischer Mus. Univers. II. p. 69.

Similis Bl. Gagi Fabr. magnitudine, sed thorace extenso, elytris rugosis opacis, medio dilatatis, distinguenda.

Caput magnum exsertum, labro dilatato, transverso, vertice lævi, fronte punctulato-rugosa.

Thorax rotundatus, convexus, pulvinatus, tenue limbatus, glaber nitidus.

Elytra elongato-ovata, rugosa, opaca, sutura im-

pressa, mucronata, mucrone debili, brevi, apice dehiscente.

Corpus punctulatum. Prosternum interpedali lato et intumido, apice obtuso. Pedes fortes. Pulvilli inter-unguicales conici, longissimi.

Hab. in Iberia. D. STEVEN.

(Mus. Stevenianum.).

80. BLAPS *hians.*

Bl. thorace pulvinato, punctulato, antice paullo dilatato, non marginato; elytris medio subdilatatis, rugosis, sutura mucroneque subhiante.

Long. 16 lin. Lat. 6 lin.

Caput exsertum antice dilatatum. Facie linea semilunari impressa; labro transverso, medio costato, antice emarginato. Ultimus palporum maxillarium articulus valde dilatatus.

Thorax subquadratus, pulvinatus, subdepressus punctulatus, vix limbatus.

Elytra elongato-ovata, rugosa, sutura paullo elevata subhiante, mucronata, mucrone ramis fortibus, triangularibus, supra subhiantibus, latere subulatis, inferius deplanatis.

Nec corpus, nec pedes aliquid singulare offerunt. Pulvilli interunguicales abbreviati, triangulares, acuti.

Hab. in Podolia australi. D. BESSER.

2. ELYTRIS ELONGATIS.

81. Blaps *ominosa.*

Bl. elongata, nitida, fronte bifoveolata; thorace convexa punctulato; elytris elongato-ovatis, punctatis, costatis, costis obscuris, mucronatis, mucrone ramis longis cylindricis.

Long. 15 $^{1}/_{4}$ lin. Lat. 6 $^{1}/_{3}$ lin.

Blaps ominosa, Ménétriés Cat. Cauc. p. 198. n. 865.
Faldermann, Mém. de la Soc. V. 43. n. 314. t. VII. f. 3.
Blaps elongata, Karelin in lit.

Hab. in Turcomania, Armenia, Caucaso.

82. Blaps *Gages.*

Bl. elongata, nitida; thorace pulvinato; elytris lævibus mucronatis, mucrone ramis cylindricis fere filiformibus, apice hiantibus.

Long. 15 lin. Lat. 6 lin.

Blaps Gages, Fabr. Syst. Eleuth. I. 141. 1.
Blaps Gigas Herbst.
Tenebrio Gigas Linnaei.

Hab. in Rossia meridionali.

Blaps armeniaca Faldermann Mém. da la Soc. V. 42. n. 313. Tab. VII. f. 5. ita proxime huic speciei accedit, ut vix ac ne vix quidem ab ea distingui pos-

sit. Puncta seriatim locata etiam in *Gage* oculo armato adparent.

83. Blaps *producta.*

Bl. thorace rotundato vix limbato; elytris medio dilatatis, subsulcatis, mucronatis, mucrone abbreviato.

Long. 13 lin. Lat. 6 lin.

Blaps producta, Dejean Cat. ed. 3. p. 209.
Sturm, Cat. 1843. p. 149.

Hab. in Sibiria, Irkutsk; — in Gall. meridionali, Hispania.

C. THORACE ELONGATO-QUADRATO.

1. ELYTRIS SUBPLANIS, APICE MUCRONATIS.

84. Blaps *Mortisaga.*

Bl. thorace quadrato, rotundatis marginato; elytris punctulatis mucronatis.

Long. 12 lin. Lat. 4 lin.

Blaps Mortisaga, Fabr. Syst. Eleuth. I. 141. 3.
Tenebrio mortisagus, Linn. Fauna suc. n. 822. Syst. Nat. II. 676. 15.
Schæffer, Icones, t. 36. 6. 6. 13.

Hab. in tota Europa.

85. Blaps *confusa.*

Bl. thorace quadrato, rotundato, rudi, subcanaliculato; elytris subsulcatis, obscure punctatis mucronatis.

Long. 10 lin. Lat. 4 lin.

Confundi potest cum *Bl. mortisaga*, sed paullo minor est; thorace subcanaliculato, elytris obliterate striatis aut sulcatis.

Caput exsertum opacum, epistomate quadrato, labro quadrato antice emarginato, ciliato.

Thorax quadratus, subcanaliculatus, marginatus, punctis tenuissimis rudis.

Elytra subsulcata, punctulata, sutura impressa, latère versus apicem paullo dilatata, mucronata, mucrone brevi.

Corpus subnitidum. Prosternum basi dilatatum, limbatum, ferrugineo ciliatum, interpedale valde angustatum, sulcatum. Pedes fortes tibiis punctulatis, tarsis elongatis unguibus longis distantibus, pulvillo minimo.

Hab. in Podolia australi. D. Besser.

86. Blaps *canaliculata.*

Bl. thorace transverso, marginato, canaliculato; elytris subparallelis, punctato-corrosis, mucronatis, mucrone longo canaliculato.

Long. 13 $^1/_2$ lin. Lat. 6 lin.

Blaps canaliculata Fisch. } Dejean Cat.
Blaps elongata Mannerh. } ed. 3. p. 209.

Caput productum, opacum, impressionibus binis longitudinalibus sub oculis. Epistoma linea recta distincto, quadratum. Labrum quadratum, antice inflexum, subsinuatum.

Thorax transversus latere paullo rotundatus, marginatus, dorso punctulato, subnitente, canaliculato.

Elytra subparallela, punctis corrosa, mucronata, mucrone longo, canaliculato. Sutura basi subelevata, postice canaliculata.

Corpus subnitidum. Prosternum basi latum, profunde sulcatum, interpedali longo, angusto, apice emarginato. Pedes debiles, femoribus punctatorudibus; tarsi longi, articulo unguicali longo, crasso, unguibus distantibus recurvis, pulvillo longo, cylindrico.

Hab. in Rossia meridionali.

87. Blaps *reflexicollis.*

Bl. thorace transverso, lateribus subrotundatis, marginatis, margine subreflexo; elytris parallelis, punctis raris impressis, postice angustatis, mucronatis, mucrone longo, supra canaliculato.

Long. 13 lin. Lat. 5 lin.

Blaps reflexicollis Ziegl. Dejean Cat. ed. 3. p. 209.
Blaps pannonica Dahl, Sturm, Cat. p. 149.

Caput exertum opacum punctulatum. Epistoma medio linea impressa profunde notatum. Labrum quadratum, antice subsinuatum.

Thorax transversus punctulatus, marginatus, margine reflexo.

Elytra parallela, punctis raris impressis, postice angustata, mucronata, mucrone brevi supra late canaliculato.

Corpus opacum. Prosternum duabus impressionibus transversalibus donatum, apice abbreviato sinuato. Pedes femoribus anticis incrassatis, tarsis elongatis articulo unguicali supra canaliculato.

Hab. in Rossia meridionali.—Hungaria.

88. Blaps *longicollis.*

Bl. thorace transverso elongato antice angustato, glabro; elytris parallelis, crebre punctatis submucronatis, mucrone obtuso.

Long. 11 $^{1}/_{5}$ lin. Lat. 4 lin.

Blaps longicollis, Steven, Mus. Univ. p. 69.
Blaps elongata, Fischer, Dejean, Cat. ed 3. p. 209.

Caput exsertum opacum nutans, epistomate linea incurva notato. Labrum quadratum, antice emarginatum.

Thorax transversus elongatus, antice angustatus, glaber, limbo tenui.

Elytra parallela, medio vix dilatata, arcte pun-

ctata, mucronata, mucrone abbreviato, ramis crassis distantibus.

Corpus subnitidum. Prosternum sine impressione transversali, conus interpedalis valde incrassatus, apice dilatatus, sulcatus. Metasternum latum, transverse sulcatum. Pedes nihil observatu dignum offerunt, exceptis unguibus debilissimis, approximatis, pulvillo vix percipiendo.

Frequens habitat in Rossia meridionali, Podolia australi, Sibiria.

89. Blaps *confluens.*

Bl. thorace transverso, antice angustato, elytris punctatis, punctis impressis prope suturam seriatim positis, latere confluentibus.

Long. 10 lin. Lat 5 lin.

Caput exsertum angustatum opacum, labro quadrato nitido, antice inclinato. Oculi albi.

Thorax transversus, antice angustior, sublimbatus, punctulatus, subcanaliculatus.

Elytra parallela punctata, punctis prope suturam impressam seriatim positis, latere confluentibus; marginata, mucronata, mucroni brevi ramis supra crassis conicis, medio canali sejunctis.

Corpus opacum. Prosternum dilatatum, antice angustatum sulco elongato.

Hab. in Volhynia; in Podolia australi.

β. Blaps glabrata Besser, varietas præcedentis, magnitudine et forma cum ea conveniens, punctis prope suturam minus distinctis.

Hab. in Podolia australi; in Songoria; FISCH. Cat. Col. Karel. n. 145.

90. BLAPS *coriacea.*

Bl. thorace transverso, canaliculato, limbato; elytris parallelis brevi-mucronatis, punctato-granulato-scabris.

Long. 12 lin. Lat. 4 lin.

Blaps coriacea, FISCHER Cat. Col. Karel. p. 14. n. 144.

Caput extensum punctulatum opacum, epistomate linea sinuata sejuncto; labro quadrato, antice emarginato. Antennæ ab oculis distantes sub epistomate insertæ.

Thorax transversus, punctulatus, canaliculatus, limbatus.

Elytra parallela, sulcis quibusdam, punctis et granulis obliteratis coriacea; sutura maris impressa; mucronata, mucrone obtuse conico.

Corpus sericeum, rarissime punctulatum. Prosternum basi limbatum, valde impressum, inter pedes angustatum, apice dilatatum obtusum sulcatum. Pedes debiles, tarsis angustatis, unguibus debilibus adproximatis, pulvillis nullis aut brevissimis.

Hab. in Songoria. D. KARELIN.

91. Blaps *seriatim-punctata.*

Bl. thorace transverso limbato glabro; elytris parallelis, brevi-mucronatis, punctatis: punctis latis subrhomboidalibus seriatim impressis.

Long. 12 lin. Lat. 6 lin.

Caput exsertum opacum, vertice tinea transversa inter oculos impressa; epistomate linea semilunari sejuncto. Labrum subquadratum: antice dilatatum. Antennæ vulgo tenuiores.

Thorax transversus, antice paullo rotundatus, sinuatus, latere limbatus, postice recta abscissus lineaque recta transversa impressus, supra convexus glaber, medio canali brevi.

Elytra parallela, brevi-mucronata, punctata, punctis latis subangulatis seriatim impressis. Sutura tota longitudine impressa. Mucro parvam format adpendicem elytrorum, apice hiantem.

Corpus punctulatum sericeum. Pedes femoribus punctulatis, reliquis partibus vulgaribus.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

92. Blaps *microphthalma.*

Bl. thorace transverso, antice dilatato, tenue limbato; elytris subparallelis punctis raris et sulculis transversis multivariis rudibus, mucronatis, mucrone abbreviato, obtuse conico.

Long. 10 lin. Lat. 4 lin.

Blaps rarepunctata, Fischer, olim.

Caput dilatatum productum marginatum opacum, oculis compressis minimis, albis ; epistomate quadrato ; labro paullo angustiore quadrato ; antice subemarginato. Antennæ crassiores , articulis arcte contiguis.

Thorax transversus antice rotundatus, obsoletissime punctulatus, postice recta abscissus, impressione transversa.

Elytra subparallela, punctis rarioribus sulculisque crebrioribus transversis rudibus. Sutura linea impressa notata ; mucro brevis obtuse conicus.

Corpus sericeum. Prosternum quadratum, antice limbatum ; interpedale breve sulcatum.

Pedes debiles , unguibus gracilibus , pulvillis nullis.

Hab. in Podolia australi. D. Besser.

93. Blaps *Carbo.*

Bl. thorace rotundato, marginato, canaliculato, depresso ; elytris subparallelis , glabris , brevimucronatis, sutura impressa.

Long. 11 lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Blaps Carbo Steven, Fisch. Mus. Univ. II. p. 69.

Caput latum productum opacum , epistomate brevi, quadrato, antice sinuato. Antennæ extrorsum pruinosæ.

Thorax transversus, lateribus dilatis, margine reflexo, fere rotundo. Utrinque recta abscissus, postice cum linea transversa impressa. Canalis dorsalis abbreviatus.

Elytra basi parallela, dein sensim sensimque angustiora, tum in mucronem obtuse conicum abeuntia; supra glabra, latere sublimbata.

Corpus opacum. Prosternum basi latum, inter pedes angustum, apice subdilatatum, emarginatum. Coxæ pedum anteriorum magnæ globosæ, lanie ferruginea tectæ.

Hab. in Rossia meridionali, ad Volgam.

94. Blaps *turcomana.*

Bl. thorace transverso, punctato, sublimbato; elytris elongato-ovatis, mucronatis, granulatis, granulis tenuissimis coriaceis.

Long. 10 ½ lin. Lat. 4 lin.

Blaps turcomana, Karelin in lit.

Caput magnum nutans, opacum, labro abbreviato subconico emarginato. Antennæ fortes.

Thorax transversus, punctulatus, sublimbatus, antice sinuatus, postice recta abscissus.

Elytra elongato-ovata, tenue limbata, punctis et granulis tenuissimis coriacea, obliteratim trisulcata, mucronata, mucrone longo, supra sulcato, infra excavato.

Corpus subpunctatum nitidum. Prosternum basi profunde impressum, interpedale sulcatum.

Pedes sibi invicem valde adproximati.

Hab. in Turcomania. D. KARELIN.

95. BLAPS *variolosa.*

Bl. thorace transverso marginato; elytris elongato-ovatis, mucronatis, rugis et sulcis variolosis.

Long. 11 lin. Lat. 5 lin.

Caput nutans punctis rugosum, fronte excavata, epistomate brevi subtuberculato; labro subquadrato lævi, nitido, antice emarginato.

Thorax transversus, marginatus, margine reflexo, punctis scaber, opacus.

Elytra elongato-ovata, rugis et sulcis varie directis variolosa, mucronata, mucrone longo, supra angulato-sulcato.

Corpus punctulatum sericeum. Prosternum abbreviatum sed forma reliquis conveniens. Pedes graciles distantes.

Hab. in Sibiria,—Irkutsk.

96. BLAPS *acuminata.*

Bl. thorace elongato, antice angustato, glabro; elytris parallelis, punctatis, mucrone dehiscente terminatis.

Long. 9—10 lin. Lat. 4 lin.

Blaps acuminata FISCHER, Entom. rossica. I. 187. t. XVI. f. 4.

Hab. in Sibiria;—Nor-Saisan.

97. Blaps *seriata.*

Bl. thorace transverso, lateribus subdilatatus; elytris elongato-ovatis, obliterate costatis, interstitiis, seriatim punctatis.

Long. 13 lin. Lat. 5 lin.

Blaps seriata Fischer, Entom. ross. I. 185. t. XVI. f. 2.

Caput magnum exsertum nutans, opacum; epistomate angusto; labro quadrato, splendido, antice rotundato.. Antennæ articulis ultimis ferrugineo-pruinosis.

Thorax transversus, latere subdilatatus; dorso convexo punctulato, impressione postica transversa.

Elytra elongata-ovata, basi constricta, medio dilatata, tenue limbata, obliterate costata, costis planis, interstitiis punctatis, punctis crassioribus, mucronata, mucrone valde obtuso, subtriangulari.

Hæc species convexitate elytrorum formaque apicis transitum ad sequentem sectionem offert.

Corpus sericeum, lineis undulatis impressum. Pectus dilatatum, pedibus anticis ab intermediis distantibus. Prosternum abbreviatum impressione transversa, interpedali angustato, elevato, medio sulcato; mesosternum dilatatum, impressione laterali transversa, dein in laminas duas sulco divisum; metasternum basi breve, apice elongatum bi-emarginatum.

Pedes punctis impressis muniti.

Hab. in Bucharia. D. Pander.

98. Blaps *scabra*.

Bl. thorace transverso, utrinque attenuato, latere dilatato, limbato; elytris subparallelis, submucronatis, sulcatis, sulcis, lineolis punctisque transversis.

Long. 10 lin. Lat. 5 lin.

Blaps scabra, Fischer Cat. Col. Karel. p. 15. n. 142.

Caput porrectum latum, punctulatum, impressione transversali interoculari. Oculi glauci. Epistoma angustum quadratum. Labrum transversum apice emarginatum. Antennæ coarctatæ, articulis obconicis vulgo brevioribus, ultimis globosis.

Thorax transversus utrinque paullo attenuatus, antice subsinuatus, postice recta abscissus, lateribus dilatatis subrotundatis, limbatis.

Elytra parallela, brevi-mucronata, sulcata, sulcis planis punctis et lineis transversis scabris.

Corpus subnitidum. Pedes nitidi, femoribus punctis impressis. Tibiæ anticæ profunde sulcatæ, basi coarctatæ; pulvilli interunguicales brevissimi.

Hab. in Tartaria magna. D. Pander; in Songoria. D. Karelin.

2. ELYTRIS CONVEXIS MUTICIS, S. MUCRONE BREVISSIMO.

99. Blaps *fatidica.*

Bl. nitida, thorace subquadrato, latere dilatato, tenue limbato; elytris subparallelis, convexis, crebre rudeque subseriatim punctatis.

Long. 11 lin. Lat. 4 lin.

Blaps fatidica, Creatzer. . . .
Sturm Faun. germ. II. 205. n. 3. t. XLV. f. a. b.
Fischer, Entom. ross. I. 116—3. t. XVI. f. 3.

Hab. in Rossia meridionali; in Podolia australi.

100. Blaps *convexa.*

Bl. opaca, thorace transverso subcanaliculato; elytris elongatis parallelis convexis submucronatis, crebre inordinatim punctatis, sutura impressa.

Long. 10 ½ lin. Lat. 5 lin.

Caput abbreviatum punctulatum opacum, epistomate quadrato linea subrecta sejuncto, labro quadrato, antice emarginato.

Thorax transversus subparallelus, tenuissime punctulatus, subcanaliculatus.

Elytra elongata, parallela, convexa, mucrone brevissimo; punctis crebris sublineatis inordinatim impressis. Sutura impressa et valde adparens.

Corpus opacum. Prosternum basi dilatatum,

punctulatum, impressum, antice marginatum; interpedale valde elevatum, sulcatum; mesosternum valde dilatatum et inter pedes marginatum; metasternum basi obtriangulatum, abruptum, dein dilatatum, oblique transversim plicatum. Pedes glabri. Pulvillus unguicalis abbreviatus.

Hab. in Podolia australi. D. BESSER.

Bl. cuspidatam MEGERLE ex Hungaria accepi *convexæ* similem, mucrone tamen paullo longiore, corpore magis dilatato thoraceque convexiore.

101. BLAPS *pterosticha*.

Bl. subnitida; thorace transverso, subparallelo, tenue limbato; elytris parallelis brevi-mucronatis, obliterate sulcatis, confertissime et inordinatim punctatis.

Long. 12—13, Lat. 5—6 lin.

Caput magnum exsertum, vertice punctatum; epistomate lato quadrato: labro magno quadrato nitido, impressione profunda ab epistomate sejuncto, antice rotundato. Antennæ articulis abbreviatis.

Thorax transversus convexus subparallelus subcanaliculatus, latere late marginatus.

Elytra parallela, obliterate sulcata, punctata, punctis impressis creberrimis; mucrone valde abbreviato, obtuso.

Corpus sericeum, subtilissime punctatum. Pedes anteriores ab intermediis distantes. Prosternum basi triangulari rudi, interpedali valde angustato, apice dilatato, sulcato, emarginato; mesothorax valde dilatatus adpendice interpedali bi-emarginato; metathorax obcordatus, medio sulcatus. Tarsi antici coarctati unguibus gracillimis.

Hab. in Podolia, D. Besser; in Songoria, D. Karelin.

102. Blaps *Fischeri*.

Bl. thorace transverso utrinque angustato; elytris elongato-ovatis, distincte sulcatis, sulcis planis subnudibus.

Long. 12 lin. Lat. 5 $^1/_2$ lin.

Blaps Fischeri, Karelin in lit.

Caput productum, punctulatum, linea interoculari impressa; epistomate quadrato, valde angustato; labro valde dilatato, medio excavato, nitido, antice subtriangulari, incurvo. Antennæ valde breves, fere filiformes. Oculi nitidi.

Thorax transversus latere paullo dilatatus, rotundatus, angulis angustatis, dorso convexo punctato, antice posticeque recta abscissus.

Elytra elongato-ovata, brevi-mucronata, sulcata, sulcis angustis, planis, subnudibus, linea suturali distincta cum impressione triangulari scutellari.

Corpus opacum. Prosternum profunde sulcatum,

apice profunde emarginatum; mesosternum valde dilatatum, medio sulco in ramos duos latos triplicatos divisum; metasternum latum, transverse sulcatum, apice bi-emarginatum. Pedes elongati, tarsis anticis coarctatis, articulo ultimo forti, supra inciso, unguibus distantibus fortissimis, pulvillo elongato.

Hab. in Turcomania; Songoria. D. Karelin.

103. Blaps *intrusa.*

Bl. thorace transverso, subparallela, canali dorsali profundo; elytris convexis glabris, punctis raris impressis, brevi-mucronatis, sutura fovea triangulari lata notata.

Long. 10 $^1/_2$ lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Caput latum abbreviatum opacum, labro dilatato angulis rotundatis, antice sinuato.

Thorax splendidus transversus subparallelus convexus, punctis minutissimis impressis, canali dorsali distincto, postice dilatato.

Elytra parallela convexa glabra, punctis raris impressis, sutura fovea triangulari dilatata et profunda notata; mucro brevis, conicus, apice hians.

Corpus opacum Pedes femoribus punctulatis. Ungues debiles, pulvillo brevi.

Hab. in Tartaria magna, Songoria.

104. Blaps *nitida.*

Bl. tota nitida ; thorace transverso subconvexo ; elytris subelongatis , subparallelis, seriatim punctatis, mucronatis, mucrone brevi acuminato.

Long. 10 $^1/_2$ lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Blaps nitida Steven, Fischer, Museum Universit. II. p. 69.

Caput latum nitidum, medio fovea longitudinali; epistomate postice concreto, antice rotundato; labro quadrato, antice emarginato.

Thorax transversus angustatus, subconvexus, splendens, antice sinuatus, postice linea tenui recta impressa, latere limbatus.

Elytra subelongata, subparallela, seriatim punctata, sutura impressa, mucronata, mucrone brevi acuminato.

Corpus nitidum. Pedes debiles.

Hab.....

105. Blaps *brevis.*

Bl. corpore abbreviato ; thorace transverso, antice angustato; elytris subparallelis convexis muticis, ad suturam sulcatis, ad margines punctatis.

Long. 9 $^1/_2$ lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Blaps brevis. Sturm. Cat. Fischer Cat. Col. Karel. p. 16.

Caput latum, vertice elevatione triangulari; labro

quadrato, antice subrotundato. Antennæ graciles.

Thorax transversus, convexus, nitidus, antice subangustatus.

Elytris subparallelis, convexis, punctatis, punctis impressis creberrimis sulcisque quibusdam obliteratis prope suturam utrinque.

Corpus opacum. Pedes debiles sibi adproximati.

Hab. in Podolia. D. Besser.

106. Blaps *obtusa.*

Bl. thorace transverso antice angustato; elytris obovatis, glabris, postice dilatatis.

Long. 10 ½ lin. Lat. 5 ½ lin.

Blaps obtusa Fabricii Syst. Eleuth. I. 141. n. 4.
Sturm, Faun. germ. 2. 206. XLIV.

Hab. in Podolia.

107. Blaps *songorica.*

Bl. thorace transverso, antice subangustato; elytris parallelis convexis punctis quibusdam irregulariter impressis rudibus.

Long. 10 ½ lin. Lat. 5 lin.

Accedit ad varias formas, ad *brevem*, *obtusum*, varians in ipsa specie, recedit tamen antennarum

crassitudine, thoracis forma atque elytrorum structura.

Caput latum porulosum, epistomate et labro quadrato, rudibus; hoc antice emarginato. Antennæ articulis omnibus incrassatis coarctatis, anticis subcylindricis valde abbreviatis.

Thorax transversus antice subangustatus, tenuiter limbatus, limbo subacuto, latereque rotundato.

Elytra subparallela punctis raris impressis, sutura impressa, mucrone obtuso.

Corpus nitidum. Prosternum latum limbatum, interpedali angusto, apice incrassato, emarginato. Mesothorax latus, glaber, impressione transversa profunda, interpedali bidentato.

Pedes fortes distantes.

Hab. frequentissime in Songoria. D. Karelin.

108. Blaps *dorsata.*

Bl. thorace transverso, obscure punctulato, tenue limbato; elytris parallelis punctulatis, lateribus intumidis, dorso plano.

Long. 10—11 lin. Lat. 5—6 lin.

Blaps deplanata Besser in lit.

Caput latum, punctulatum, opacum, epistomate quadrato valde angustato, labro quadrato, antice dilatato, emarginato. Antennæ maris incrassatæ, feminæ graciliores.

Thorax transversus, latere rotundatus, tenue lim-

batus, antice angustatus, sinuatus, postice dilatatus subrectus, dorso punctulato, leviter canaliculato.

Elytra parallela, latere intumida, dorso plana, punctulata; emucronata.

Corpus sericeum. Prosternum basi dilatatum, transversim impressum, adpendice interpedali valde angustato, elevato sulcato. Mesothorax abbreviatus, dilatatus, pedibus itaque intermediis anticis valde adproximatis. Metathorax ad basin dilatatus, ad apicem cordiformis. Pedes debiles.

Hab. in Podolia australi. D. Besser.

109. Blaps *pruinosa.*

Bl. atro-cœrulea opaca; thorace elongato; elytris ovatis, punctatis, confertim striatis, apice retusis, subdehiscentibus.

Long. 11—12 lin. Lat. 4 ½, 6 lin.

Blaps pruinosa, Evesrmann, Faldermann, Bull. de la Soc. des Nat. 1833. Tome VI. p. 53. (Ed. parisin. p. 217.)

Hab. in Deserto Kirgisorum.

110. Blaps *amœna.*

Bl. sericea; thorace transverso, antice angustato, latere sublimbato; elytris parallelis, convexis, brevi-mucronatis punctatis, punctis magnis seriatim impressis.

Long. 10 lin. Lat. 5 lin.

Caput latum punctulatum, linea vesticis transversim impressa, epistomate postice recto, antice rotundato; labro quadrato, antice paullo restricto, recto.

Thorax transversus, punctulatus, antice paullo angustatus et sinuatus, latere tenue limbatus, postice impressione magna triangulari.

Elytra parallela, convexa, brevi-mucronata, punctata, punctis magnis subdistantibus seriatim impressis. Sutura impressa in mucronem brevem continuatur ibique dilatatur.

Corpus sericeum. Pedes debiles.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

111. Blaps *parvicollis.*

Bl. thorace transverso lævi, postice restricto; elytris subelongatis parallelis convexis, seriatim punctatis.

Long. 7—8 lin. Lat. 3—3 ½ lin.

Blaps parvicollis, Eschscholtz.

Zubkoff, Bull. de la Soc. I. 160. Pl. IV. f. 8. (ed. gall. p. 38.)

Hab. in Deserto Kirgisorum.

112. Blaps *Krynicki.*

Bl. convexiuscula , sublucida ; thorace marginato, plano, subcordato, punctulato; elytris ovatis, acumine brevi dehiscente, substriatis punctisque obliquis aut eminentibus scabris.
(Krynicki.)

Long. 8 lin. Lat. 3 ½ lin. ♂ 8 ½, 4. ♀

Blaps Krynicki, Karelin.
Krynicki, Bull. de la Soc. I. 1827 p. 195. n. 25. 26.

Hab. in desertis ad Orenburg.

113. Blaps *damascena.*

Bl. thorace transverso ; elytris muticis, obliterate sulcatis , interstitiis punctis transversis aut lineis impressis scabris.

Long. 10 lin. Lat. 5 lin.

Blaps punctata, Besser in lit.

Caput latum, fronte punctulatum ; epistomate quadrato angustato , glabro; labro transverso nitido , antice rotundato.

Thorax transversus*, latere paullo dilatatus et limbatus, subpunctulatus, subcanaliculatus , foveis duabus parvis, prope canalem medio.

Elytra parallela mutica, sulcata interstitiis punctis transversis aut lineolis impressis valde adproximatis hinc illinc confluentibus, scabris.

Corpus opacum. Prosternum dilatatum basi, interpedali angusto valde elevato, apice emarginato. Mesothorax latus, medio transversim impressus, interpedali bilabiato. Pedes fortes punctati. Ungues longi graciles, pulvillo abbreviato.

Hab. in Podolia. D. Besser.

C. ELYTRIS GRANULATIS S. RUGOSIS.

114. Blaps *rugosa.*

Bl. thorace transverso, latere subrotundato; antice angustato; elytris punctis latis impressis et fossulis rugosis.

Long. 9 lin. Lat. 4 1/2 lin.

Blaps rugosa, Gebler in lit.
Dejean, Cat. ed. 3. p. 209.

Caput latum punctulatum, fronte lineis duabus transversis impressum; epistomate lato, angusto, quadrato; labro quadrato rugoso, antice subemarginato.

Thorax transversus, antice angustatus, postice punctulatus, linea transversa impressus, dorso plano, subcanaliculato.

Elytra parallela brevi-mucronata, punctis et foveolis impressis rugosa.

Corpus opacum, punctulatum. Pedes et ungues debiles, pulvillo abbreviato.

Hab. in Mongolia.

115. Blaps *granulata.*

Bl. opaca ; thorace transverso, antice subdilatato, punctulato, limbato ; elytris postice subdilatatis, granulis minimis obsitis.

Long. 9 lin. Lat. 3 1/4 lin.

Caput valde productum, punctulatum, linea interoculari profunde impressa ; epistomate abbreviato ; labro transverso, producto, splendente, antice emarginato

Thorax transversus punctulatus, antice subdilatatus, latere tenue limbatus.

Elytra elongato-ovata, mucronata, granulis minimis obsita.

Corpus sericeum. Prosternum inter pedes dilatatum profundeque sulcatum. Pedes conformes aliis.

Hab. in Sibiria, ad Nor-Saison ; D. Gebler.

116. Blaps *miliaria.*

Bl. tota granulosa ; thorace transverso, lateribus rotundatis ; elytris convexis, submucronatis, impressione scutellari triangulari, granulis parvis creberrimis contiguis coriaceis.

Long. 11 lin. Lat. 5 lin.

Caput exsertum, fronte tuberosa, facie tenuissi-

me granulosa; epistomate linea undulata sejuncto; labro brevi splendido, antice incurvo.

Thorax transversus, tenuissime granulatus, latere tenue limbatus; limbo acuto, paullo deflexo.

Elytra elongato-ovata, convexa, subacuminata, granulata, granulis creberrimis parvis contiguis, basi fossa triangulari scutellum æmulante.

Corpus opacum.

Hab. in Sibiria; Nertschinsk.

117. Blaps *variolosa.*

Bl. thorace transverso, antice angustato; elytris elongato-ovatis, submucronatis, seriatim granulatis, granulis elevatis planis, mediis majoribus.

Long. 9 lin. Lat. 4 lin.

Caput latum exsertum fronte elevata nitida; pars facialis punctulata. Labrum abbreviatum, antice dilatatum latere, medio subemarginatum.

Thorax transversus, subparallelus, antice subangustatus, sinuatus, dorso canaliculato, subpunctulato.

Elytra elongato-ovata, submucronata, seriatim granulata, granulis elevatis planis, seriebus mediis majoribus.

Corpus subnitidum. Pedes debiles.

Hab. in Sibiria, Irkutsk; D. Stschukin.

118. Blaps *transversalis.*

Bl. thorace transverso, subparallelo, late marginato, antice paullo restricto, glabro; elytris parallelis brevi-mucronatis, rugosis: rugis latis profundis transversis.

Long. 11 lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Blaps transversalis, Gebler, in lit.

Caput latum productum, vertice transversim excavato ; epistomate quadrato angustato ; labro quadrato, antice subemarginato.

Thorax transversus subparallelus , marginatus , margine reflexo, antice paullo restricto, subconvexus, glaber.

Elytra parallela, tenue limbata , rugosa , rugis latis profundis transversis , mucronata, mucrone brevi, supra sulcato.

Corpus opacum, tenuissime vage punctatum. Prosternum marginatum , interpedali angustiore, apice crassiore, emarginato.

Pedes intermedii anticis adproximati, postici ab intermediis distantes.

Hab. in deserto Kirgisorum. D. Schrenk.

119. Blaps *Clotzeri.*

Bl. thorace transverso, granulato ; elytris angustatis, granulatis : granulis subelongatis seriatim positis.

Long. 7 lin. Lat. 3 lin.

Blaps Clotzeri, KARELIN in lit.

Minima inter omnes Blaptes.

Caput punctulatum, impressione interoculari transversa. Epistoma dilatatum. Labrum abbreviatum, antice ferrugineo-ciliatum.

Thorax transversus, subtilissime granulatus, antice subangustatus, latere sublimbatus.

Elytra subparallela basi, sensim sensimque versus apicem angustata, emucronata, seriatim granulata, granulis elongatis.

Corpus sericeum. Prosternum abbreviatum sulcatum. Pedes valde adproximati. Femora antica intumida, subcompressa, tarsis dilatatis, unguibus distantibus, pulvillo brevi.

Hab. in Mongolia. D. KARELIN.

D. THORACE OBCORDATO, PULVINATO, SCUTELLATO.

SUBGENUS: PELTARIUM.

(πελτάριον, scutellum.)

Os magnum quadratum, epistomate quadrato transversim exsculpto;

Labrum magnum subquadratum, antice restrictum, profunde emarginatum.

Palpi fortes articulo secundo longiori, ultimo ovato, apice rotundato.

Mandibulæ fortes, sulcatæ, subito acuminatæ;

Mentum crassum, medio profunde excisum, pedunculo cordiformi, medio costato insistente.

Antennæ crassiores vulgo, articulo tertio longissimo, sequentibus brevi-obconicis, septimo crassiore reliquis, ultimo globoso-acuminato; acumine restricto piloso

Forma Blaptis thorace rotundato plerumque marginato, certe limbato, elytris subparallelis convexis, postice conico-rotundatis, sine mucrone. Femora pedum non compressa, sulco inferiore nullo. Tarsi reliquis similes.

120. Peltarium *ovatum.*

P. thorace transverso, antice subdilatato, rotundato; elytris parallelis, convexis, punctato-sulcato scabris.

Long. 11 lin. Lat. 4 $^1/_2$ lin.

Caput exsertum, opacum, nutans; epistomate subsulcato, latere limbato, antice subangustato. Labrum quadratum.

Thorax transversus antice subdilatatus et subrotundatus, utrinque subsinuatus. Scutellum triangulare, punctato-rude.

Elytra parallela, crebre et irregulariter punctata et sulcata, sulcis obliteratis. Sutura distincta.

Corpus et pedes punctata. Prosternum sulcos utrinque offert, ad terminum usque obtusum et intumidum productos.

Hab. in Volhynia; Podolia australi. D. Besser.

121. Peltarium *bicostatum*.

Tab. II. f. 6.

P. thorace transverso sublimbato, medio impresso; elytris granulatis bicostatis.

Long. 8 lin. Lat. 3 ¼ lin.

Caput productum nutans, epistomate recta sejuncto; labro quadrato antice emarginato.

Thorax transversus, postice limbatus foveisque duabus impressus, dorso subpunctulatus, subcanaliculatus. Scutellum latum basi, triangulare.

Elytra submarginata subparallela, costis binis parum elevatis instructa.

Corpus nitidum. Pedes fortes. Prosternum latum transversim foveolatum, quasi geniculatum, antice angustatum, sulcatum. Pedes postici longiores, tibiis longissimis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

122. Peltarium *marginatum*.

P. thorace transverso marginato; elytris subparallelis convexis rudibus, opacis, marginatis, margine acuto reflexo.

Long. 12 lin. Lat. 5 lin.

Blaps marginata olim.

Caput productum, opacum, antice impressione

transversa profunda; labro quadrato anterius sinuato.

Thorax transversus, subconvexus, opacus, marginatus, impressionibus triangularibus angulorum posticorum. Margo posticus rectus limbatus. Scutellum triangulare hirtum, basi valde dilatatum.

Elytra subparallela, convexa, punctatim scabra, marginata, margine reflexo, acuto.

Corpus pedesque nihil singulare offerunt.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

123. Peltarium *punctatum*.

Tab. II. f. 7.

P. thorace transverso marginato, subtilissime punctulato; elytris subelongato-ovatis arctissime punctatis, lineis binis obliteratis impressis.

Long. 10 ½ lin. Lat. 5 lin.

Caput magnum productum subovatum, vertice impressum, latere marginatum. Epistoma quadratum, semilunatum. Labrum hirtum antice rotundatum, emarginatum. Antennæ contractæ ita ut breviores vulgo adpareant; basi tenues, extrorsum crassiores.

Thorax transversus, latere paullo dilatatus, limbatus, subtilissime punctatus. Scutellum magnum triangulare hirtum.

Elytra subovata, versus apicem paullo dilatata,

creberrime punctulata. Sutura linea impressa notata, versus apicem in sulcum profundum terminans.

Corpus et pedes ut in reliquis, articulis tarsorum magis coarctatis. Pulvilli interunguicales rotundati, abbreviati.

Hab. in Sibiria.

124. Peltarium *caudatum.*

P. thorace transverso, antice rotundato ampliato, punctato-rudi, marginato; elytris elongato-ovatis, convexis, mucronatis, obsolete sulcatis, granulatis, granulis minimis subseriatim dispositis.

Long. 11 ¹/₂ lin. Lat. 3 ¹/₂ lin.

Blaps caudata, Gebler in lit.

Caput productum, latum, subrude, opacum, inter oculos transversim excavatum. Epistoma quadratum, latissimum, latere rotundatum, rude; labrum augustatum, nitidum, antice subsinuatum.

Thorax transversus marginatus, antice paullo dilatatus, subconvexus, subpunctulatus. Scutellum triangulare, rude, hirtum.

Elytra elongato-ovata, medio dilatata, convexa, apice mucronata, mucrone maris subito angustato, feminæ abbreviato, obtuso. Supra granulata, granulis tenuissimi irubatesssim dispositis; prope suturam sulcis binis vel trinis obliteratis.

Corpus nitidum. Prosternum latum, transversim intumidum, versus coxas limbatum, interpedali angustato, profunde sulcato.

Hab. in deserto Kirgisorum. D. Schrenk.

125. Peltarium *halophilum.*

P. thorace transverso marginato, antice paullo restricto; elytris parallelis convexis subglabris, submucronatis.

Long. 10 lin. Lat. 4 lin.

Blaps halophila, Fischer, Entom. ross. I. p. 190. Pl. XVI. f. 7.

Scutellum parvum triangulare. Elytra tenue limbata.

Ill. Dejean hanc speciem tanquam varietatem *elongatæ* m. s. *longicollis* Steven considerat, sed thorax brevior est et minus angustatus antice, latere marginatus. Scutellum deinde distinctum eam adhuc magis removet. Nomen dictavit individuum, ore, palpis, pectore, tarsis, crystallis salinis plenum

Hab. prope lacum Inderskoë.

Dila, Fischer.

a δειλος, timidus.

Mentum magnum obconicum antice dilalatum sinuatum. Pedunculus abbreviatus quadratus.

Palpi maxillares incrassati, articulis obconicis, tertio longissimo, ultimo obconico, recta truncato.

Mandibulæ fortes acuminatæ, externe profunde sulcatæ.

Labrum quadratum, antice late sinuatum.

Antennæ feminæ crassiores, maris debiliores, articulo primo crasso, secundo elongato, basi annulato, quatuor sequentes fere cylindrici, reliquis quatuor globosis, ultimo globoso-acuminato, acumine elongato.

Forma elongata, thorax pulvinatus, non aut vix limbatus, cum scutello distincto *Dilas* a *Blaptibus* facile distinguunt.

Caput exsertum nutans, epistomate postice rotundato, antice linea impressa a labro sejuncto.

Thorax pulvinatus, fere orbicularis, latere vix limbatus utrinque recta abscissus, scutello distincto.

Elytra elongata sensim sensimque angustata, plerumque glabra et lævia.

Prosternum plerumque magnum, inter pedes angustatum, apice sulcato-emarginatum.

Pedes fortes, tibiis anticis subincurvis, apice cavo obliquo ad articulum tarsi primum recipiendum instructis. Tarsi lati subtus spinosi, unguibus longissimis incurvis. Pulvilli interunguicales brevissimi, vix percipiendi.

126. Dila *lævicollis.*

D. thorace elongato pulvinato lævi; elytris conicis extensis, postice angustatis lævibus.

Long. 2 lin. Lat. 5 lin.

Blaps lævicollis, Gebler, Bullet. de l'Acad. de St. Pétersbourg. 1841. n. 5.

Caput productum, subcoriaceum, labro transversim excavato, antice sinuato.

Thorax elongato-rotundatus, pulvinatus, lævis, vix limbatus, scutello brevissimo, triangulari, hirto.

Elytra elongata conica opaca lævia, sub lente punctis quibusdam impressis medio, limbo tenuissimo, apice singulatim rotundato-obtusa.

Corpus nitens. Prosternum basi latum, medio transversim sulcato, inter pedes angustatum, apice obtuso emarginato.

Mesothorax profunde impressus, longus et latus. Metathorax longus transversim sulcatus.

Pedes fortes. Scapulæ elongato-globosæ, dimidio pilosæ; coxæ longæ triangulares. Femora intumida, inferius sulcata, versus apicem spina s. tuberculo munita. Tibiæ fere cylindricæ, incurvæ, apice spinis binis obtusis inæqualibus instructæ. Tarsi articulis dilatatis, gradatim angustioribus, ultimus fortis, penultimo crassior. Ungues fortes distantes recurvis, pulvillis intermediis brevissimis.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

127. Dila *Bärii.*

D. thorace subtransverso, elongato, pulvinato, marginato; elytris subpunctatis, subcostatis.

Long. 13 lin. Lat. 4 ½ lin.

Blaps Bärii, Fischer Cat. Col Karel. p. 16. et 28.

Maximam habet similitudinem cum præcedente, sed magnitudine, thoracis forma sculpturaque elytrorum diversa.

Caput productum, fronte impressa, labro magno, submarginato latere.

Thorax elongato-rotundatus, sublimbatus, postice sinuatus foveisque duabus impressis. Scutellum triangulare, basi dilatatum, sulcatum.

Elytra parallela versus apicem paullo dilatata, convexa opaca, obliterate costata et punctata.

Corpus nitidum. Pedes debiliores.

Coxæ anteriores minores. Prosternum simile ei præcedentis sed interpedale dilatatum. Mesothorax sulco longitudinali.

Hab. in Songoria D. Karelin.

128. Dila *Herbstii.*

D. thorace transverso, marginato, impressionibus duabus posticis; elytris subparallelis, glabris, postice angustatis, acuminatis.

Long. 12 ½ lin. Lat. 4 lin.

Blaps Herbstii, Fischer, Cat. Col. Karel. p 20. n. 350

Caput productum, vertice punctis duobus impressis, facie impressione transversali profunda. Labrum subtransversum, antice sinuatum.

Thorax transversus, marginibus reflexis parallelis. Impressiones conicæ in angulis posticis. Scutellum magnum, triangulare, setosum.

Elytra elongata, subpunctata, limbis lateralibus tenue reflexis, postice angustatis in apicem rotundum abeuntibus. Sutura linea impressa indicata.

Corpus et pedes nitida.

Hab. in Songoria D. Karelin.

129. Dila *attenuata.*

D. capite angustato; thorace transverso medio subdilatato, convexo, glabro, limbo tenuissimo; elytris conicis glabris.

Long. 10 lin. Lat. 3 lin.

Blaps attenuata, Fischer, Entom. ross. I. p. 188. Pl. XVI. f. 5. Sturm, Cat. p. 149.

Blaps cylindrica Dej. Cat. ed. 3. p. 209.

Frequentissima in Rossia meridionali.

130. Dila *cylindrica.*

D. capite dilatato; thorace transverso, subrotundo, convexo; elytris elongatis medio subdilatatis, convexis, sulcis quibusdam obliteratis.

Long. 11 lin. Lat. 4 lin

Blaps cylindrica, Herbst, Col. Tab. CXXXVIII. f. 4.

Hab. in Sibiria ;—in Podolia.

131. Dila *foveata*.

D. thorace transverso, submarginato; canaliculato, canali medio foveato; elytris sublimbatis, rudibus opacis, sutura impressa.

Long. 8 lin. Lat. 3 ¹/₄ lin.

Blaps foveata, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 14. n. 147.

Caput exsertum, opacum, nutans, labro quadrato nitido.

Thorax transversus, fere parallelus, limbatus, antice paullo dilatatus, coriaceus, canaliculatus, canali medio dilatato, profundo.

Elytra rudia, coriacea, subsulcata, sutura impressa, limbis lateralibus tenuibus.

Corpus sericei nitoris. Pedes fortes, femoribus anticis intumidis, tibiis incurvis. Pedes postici longiores graciliora.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

132. Dila *sulcata*.

D. thorace transverso, angustato, subparallelo, punctato; elytris medio dilatatis, sulcatis, interstitiis crenulatis.

Long. 11 ¹/₂ lin. Lat. 4 ¹/₂ lin.

Caput exsertum vertice punctulato, inter oculos lineis duabus semilunaribus impressis. Epistoma subquadratum. Labrum dilatatum, nitidum, antice rotundatum. Antennæ graciles fere filiformes.

Thorax transversus, angustatus, punctulatus apice basique recta abscissus. cutellum parvum triangulare.

Elytra basi angustata, thorace non latiora, sein sensim dilatata, tandemque versus apicem iterum angustata, sulcata, interstitiis crenulatis; sutura elevata.

Corpus sericeum. Pedes debiles, distantes. Ungues longissimi furcati pulvillis intermediis nullis.

Nota. Forma et structura elytrorum recedit a characteribus *Dilæ*; videtur intermedia inter *Peltarium et Dilam.*

133. Dila *Karelini.*

D. thorace transverso, sublimbato; elytris vage punctatis.

Long. 12 lin. Lat. 4 lin.

Blaps Karelini, Gebler, Bull. de la Soc. XIV. 1841. p. 593. n. 6.

In vicinis lacus Noï-Saisan.

Nota. Blaps montana Victor, (Bull. de la Soc. des Nat. XII. 1839. p. 62. Pl. II. f. e. huic sectioni inserenda videtur.

134. Dila *philacoides.*

D. abbreviata, subnitida ; thorace transverso, lateribus subrotundatis, sublimbatis, subcanaliculato; clytris parallelis, obliterate sulcatis, postice rotundato-declivibus.

Long. 5 $^1/_2$ lin. Lat. 2 $^1/_4$ lin.

Prosodes brevis, Gebler in lit.

Minima species inter Dilas et Blaptes in universum, habitu Phylaci aut Platysceli similes.

Caput productum, rugosum, nutans; epistomateo quadrato, sulco profundo a facie distincto. Labrum abbreviatum, nitidum, antice subsinuatum.

Thorax transversus, latere rotundatus et sublimbatus, opacus, sulcanaliculatus. Scutellum, triangulare, rugosum.

Elytra parallela, obliterate sulcata, latere limbata, postice declivia, apice rotundato.

Corpus nitidum. Pedes adproximati. Prosternum latum, transversim sulcatum. Coxæ pedum anticorum magnæ, semicylindricæ. Femora versus apicem tibialem incrassatæ et triangulariter profunde foveatæ. Tibiæ incurvæ, apice spinis obtusis duabus. Tarsi fortes , dilatati , unguibus distantibus, pulvillo valde abbreviato. Femora intermedia et postico compressa, incurva, curvatura corpori adaptata.

Hab. in Songoria. D. Karelin ; in deserto Kirgisorum, D. Schrenk.

NYCTIPATES Dejean.

135. Nyctipates *carinata*.

N. thorace transverso, subparallelo, marginato; elytris parallelis opacis sublimbatis, costis binis obliteratis.

Long. 9 lin. Lat. 3 ½ lin.

Nyctipates carinata, Dejean, Cat. ed. 3. p. 209.
Blaps angustata Zubkoff, Bull. de la Soc. VI. 1833. p. 327. n. 35.

Caput magnum nutans, vertice valde intumido levi; epistomate non distincto; labro lato quadrato nitido, antice sinuato.

Thorax transversus, antice subdilatatus, latere marginatus, margine lato reflexo, angulis posticis paullo productis, et punctis duobus impressis, antice posticeque subsinuatus. Scutellum triangulare, breve, nudum.

Elytra parallela limbata convexa, punctis tenuissimis scabra, costisque binis elevatis indistinctis.

Corpus nitidum. Prosternum sulcatum, interpedali lato elevato bisulcato. Pedes anteriores distantes ab intermediis, his postici adproximati. Pedes fortes, tibiis anticis incurvis extus carinatis denticulatis, denticulis minimis, superioribus parum distinctis. Tarsi fortes; ungues sine pulvillo intermedio.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

136. Nyctipates *asperata.*

N. thorace transverso, medio dilatato, marginato; elytris subparallelis convexis, granulis elevatis acutis aspera.

Long. 10 ½ lin. Lat. 4 lin.

Nyctipates coriacea, Dejean, Cat. ed. 3. p. 209.
Blaps asperata, Zubkoff, l. c. p. 330. n. 36.

Caput latum productum, vertice punctatum antice punctis duobus majoribus impressum. Epistoma distinctum latum, linea semilunari a facie disjunctum. Labrum quadratum nitidum, antice sinuatum.

Thorax transversus, medio dilatatus, glaber, marginatus, marginibus minus reflexis. Scutellum triangulare rude.

Elytra latere paullo rotundata, limbata, convexa, granulis minimis subseriatim dispositis aspera.

Reliquæ partes cum iis præcedentis speciei conveniunt, exceptis tibiis anticis, quæ denticulis, gradatim majoribus numero quinque ornatæ sunt.

Hab. in eodem loco.

137. Nyctipates *costata.*

N. thorace transverso, latere paullo dilato et late marginato; elytris subparallelis, brevi-mucronatis, costatis, costis planis depressis, interstitiis punctatis.

Long. 10 lin. Lat. 4 lin.

Caput productum latum nutans, opacum, epistomate quadrato; labro abbreviato, antice sinuato.

Thorax transversus, latere dilatatus, late marginatus, margine reflexo. Scutellum latum, sed breve, hirtum.

Elytra subparallela, latere sublimbata, postice subito declivia et in mucronem triangularem abeuntia, qui tamen in feminis ita brevis et obtusus est, ut elytra conice terminentur. Supra subdepressa, costata, costis planis depressis adproximatis, interstitiis medio leviter, latere distincte punctatis.

Corpus opacum. Prosternum limbatum interpedali profunde sulcato, apice emarginato. Pedes similes sunt iis præcedentium, tibiæ tamen anticæ incurvæ et carinatæ quidem sunt nec denticulatæ.

Hab. in Turcomania.

TAGONA Fischer.

Entom. rossica. I. 179—183. Pl. XVI. f. 89.

138. Tagona *tinodactyla.*

T. thorace transverso, convexo, glabro, latere tenue limbato; elytris elongato-ovatis, acuminatis, obliterate sulcatis, sutura impressa; tarsis longissimis, articulis compressis.

Long. 5 lin. Lat. 3 lin.

Maximam habet similitudinem cum *T. macrophthalma*, corpore vero angustiore et imprimis tarsis longissimis differre videtur.

Caput magnum vertice foveato. Epistoma postice linea semilunari sejunctum nitidum. Labrum quadratum splendidum, antice involutum.

Thorax transversus, antice paullo angustatus, latere sublimbatus, supra convexus, glaber.

Elytra elongato-ovata, postice acuminata, convexa, obsolete sulcata sutura impressa.

Corpus opacum. Pedes graciles, tibiis tenuibus, punctis impressis rudibus. Tarsi longissimi, articulis compressis.

Feminæ thorax magis dilatatus, convexior, canaliculatus.

Elytra ejus convexiora, sutura impressa.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

PLATYSCELIS Latreille.

139. Platyscelis *labialis*.

Pl. dilatatus, nitidus; labro extenso triangulari; thorace glabro; elytris striatis, striis impressis distantibus.

Long. 6 lin. Lat. 3 ½ lin.

Caput magnum glabrum nitidum; epistomate quadrato, angustato; labro magno, prominulo, tri-

angulari. Mandibulæ fortes latere et apice prominulæ.

Thorax quadratus, antice angustatus, postice dilatatus, angulis latis reflexis, convexus, nitidus.

Elytra obconica, nitida, basi valde dilatata, striata, striis impressis distantibus. Striæ in fundo sub lente videntur esse punctulatæ.

Corpus nitidum. Pedes splendentes, tibiis tarsisque subpilosis.

Hab. in Anatolia. D. Wiedemann.

* TENEBRIONITES.

CALCAR, Dejean,

140. Calcar *crassipes.*

C. fuscus, nitidus; cruribus anticis et intermediis intumidis, rubris.

Long. 3 lin. Lat. 1 lin.

Paullo minor et convexior. C. *elongato*, et paullo major *procero.*

Caput magnum productum splendidum, nigrofuscum.

Thorax obovatus, postice restrictus, convexus, fuscus, splendens.

Elytra elongata convexa glabra nitida.

Corpus nigrum nitidum. Femora pedum anteriorum et intermediorum valde intumida, quasi ve-

siculosa, rubra. Pedes postici longiores, debiliores, femoribus æque rubris, tibiis tarsisque fuscis.

Hab. in Rossia meridionali. D. Kindermann.

141. Calcar *sulcatus.*

C. elongatus, totus ferrugineus ; elytris sulcatis.

Long. 3 lin. Lat. 1 lin.

Magnitudine præcedentis.

Omnes partes ferrugineæ sunt sive testaceæ. Caput magis abbreviatum, thorace magis dilatatus, elytra arcte sulcata.

Hab. in Rossia meridionali. D. Kindemann.

* HELOPII.

HELOPS, Fab.

142. Helops *sulcatus.*

H. niger, opacus ; thorace marginato ; elytris costatis, interstitiis profunde punctatis.

Long. 5 lin. Lat. 2 $^1/_2$ lin.

Helops damascenus Fischer, olim.

Si illustr. Comes Dejean (Cat. ed. 3. p. 230.) *H. damascenum* ad *subrugosum* Creutzeri traxit, in nomine aut in insecto misso ipso error regnare videtur, nam costæ elytrorum hujus speciei nihil habent commune cum rugositate qualicunque.

Caput magnum productum nutans opacum; epistomate magno, antice angulato, marginato; labro brevi ab epistomate fere toto abscondito.

Thorax quadratus, opacus, rudis, latere paullo dilatatus sublimbatus, postice angulis latis productis, utrimque impressionem linearem obliquam relinquentibus.

Elytra costata, costis elevatis crassis, interstitiis punctatis, punctis magnis profundis.

Corpus subnitidum. Pedes antici distantes ab intermediis, his postici adproximati. Mesothorax latus, antice marginatus, interpedali in conum acutum terminatum. Coxæ intermediæ et posticæ magnæ, dilatatæ.

Hab. in Anatolia. D. Wiedemann.

STERNODES, Fischer.

Bullet. de la Soc. Impériale des Natural. 1837. N. IV. p. 10. t. I.

143. Sternodes *Mannerheimii.*

St. parallelus, niger, opacus; thorace quadrato, antice profunde sinuato; elytris oblongo-ovatis, sulcatis, sulcis trinis obliteratis, griseo-pilosis.

Long. 4 lin. Lat. 3 lin.

Forma et habitu primo intuitu ad eam *Opatri* accedit, sed forma thoracis et structura elytrorum,

imprimis prosterni hoc insectum cum *Sternode* conjungi debet.

Caput abbreviatum; vertice punctulato; epistomate profunde impresso, angustissimo; labro magno, producto, apice reflexo, medio emarginato.

Thorax quadratus, antice profunde sinuatus, latere marginatus, marginibus utrimque prominentibus, supra convexus, glaber, opacus, postice linea undulata ab elytris sejunctus, his paullo latior.

Elytra oblongo-ovata, postice subarcuminata, convexa, sulcata, sulcis obliteratis binis vel trinis griseo-pilosis. Margo eorum paullo reflexus, æque griseo-pruinosus.

Corpus fuscum piceum. Prosternum processu digitali, elevato, gaudet, cum mesothorace articulante.

Pedes maris nigri, feminæ testacei. Femora antica incrassata; tibiæ apice dilatatæ, trispinosæ; tarsi abbreviati, articulis primis dilatatis, reliquis angustatis, unguibus longis, obtusis, distantibus, pulvillo nullo.

Hab. ..... Collectio Eschscholtziona, sine indicatione loci.

OPATRUM, Fabr.

144. Opatrum *granulosum.*

O. fuscum; thorace quadrato, marginato; elytris costatis, costis granulatis.

Long. 3 lin. Lat. 2 ½ lin.

Opatrum granulosum, FISCHER, Cat. Col. Karel. p. 16. n 148.

Caput triangulare, antice dilatatum, punctulatum.

Thorax quadratus, marginatus, marginibus antice prominulis, caput fere totum amplectentibus; convexus, punctulatus.

Elytra granulata, tricostata, costis distinctius granulatis.

Corpus opacum.

Hab. in Songoria. D KARELIN.

145. OPATRUM *intermedium*.

O. thorace quadrato marginato, punctulato-scabro; elytris prope suturam granulatis, latere quadricostatis.

Long. 3 lin. Lat. 2 lin.

Caput exsertum, rugosum, medio transversim sulcatum, antice dilatatum.

Thorax quadratus, antice profunde sinuatus, postice bisinuatus, latere marginatus, convexus, rugosus.

Elytra costata et granulata; granulis crebris prope suturam, costis adproximatis quaternis latere, interstitiis punctatis.

Corpus opacum.

Hab. in Rossia meridionali.

146. Opatrum *pruinosum*.

O. elongatum, parallelum, totum pruinosus; elytris tricostatis.

Long. 3 $^1/_2$ lin. Lat. 1 $^1/_2$ lin.

Similis *O. viennensi*, sed longior, thorace magis parallelo, elytris tricostatis, quæ bicostata sunt in *viennensi*.

Caput angustatum et abbreviatum griseo-pruinosum, oculis antennisque nigris.

Thorax quadratus, parallelus, non marginatus, antice subsinuatus.

Elytra elongata parallela, costis elevatis ternis.

Corpus nigrum opacum.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

* TAXICORNES.

BOLITOPHAGUS, Fabr.

ELEDONA Latreille.

147. Bolitophagus *tricostatus*.

B. niger, elongatus; elytris tricostatis.

Long. 4 $^1/_2$ lin. Lat. 2 lin.

Caput subtetrangulare, inter oculos dilatatum, punctulatum.

Thorax quadratus, latere tenue limbatus, antice

sinuatus, postice undulatus, angulis ubique prominulis, convexus, scaber.

Elytra elongata scabra, costis tribus elevatis lævibus.

Corpus nigrum opacum.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

148. Bolitaphagus *granulatus.*

B. niger, thorace lævi parum marginato; elytris seriatim granulatis, granulis lævibus depressis.

Long. 4 lin. Lat. 2 lin.

Bolitophagus granulatus, Fischer Cat. Col. Karel. p. 16. n. 148.

Caput subtriangulare, medio transverse sulcatum, labro magno emarginato.

Thorax opacus marginatus, antice posticeque profunde sinuatus.

Elytra subparallela, versus apicem subdilatata, marginata, granulata, granulis parum elevatis; aliis elevatioribus costas tres formantibus.

Corpus et pedes parum nitida.

Hab. in Songoria. Unicum specimen Societati misit Cl. Karelin.

* VESICANTIA.

MYLABRIS, Fabr.

Tab. III. f. 2.

149. Mylabris *elegantissima.*

M. villosa, nigra ; elytris pallide flavis , fasciis binis latis sinuatis, lunulaque apicis nigris.

Long. 8 lin. Lat. 3 lin.

Mylabris elegantissima, Zubkoff, Bull. de la Soc. 1837. N. V. p. 79. Pl IV. f. 4.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

150. Mylabris *Tauscheri.*

Tab. III. f. 4.

M. nigra ; elytris pallide flavis , punctis magnis inæqualibus humeri et apicis , fasciaque media sublunata nigris.

Long. 5 lin. Lat. 2 $^1/_2$ lin.

Mylabris Tauscheri, Eschscholtz, Dejean, Cat. ed. 3. p. 242.

Caput magnum nitidum , antennarum articulis ultimis griseo-villosis.

Thorax rugosus, niger, cum impressionibus vulgaribus.

Elytra pallide flava, punctis et fascia nigris.

Puncta aut potius maculæ duæ baseos sunt inæquales, altera externa marginalis major et elongata, altera interna sive prope suturam minor, subelongata. Macula apicis fere quadrangularis adparet. Fascia media sublunata aut formam S transversim locati simulat.

Hab. in Turcomania. D. Karelin.

151. Mylabris *undecim-punctata.*

Tab. III. f. 3.

M. dense villosa, nigra, elytris pallide flavis, punctis quinis unoque apicis suturæ communi nigris.

Long. 5 $^1/_2$ lin. Lat. 2 lin.

Mylabris undecimpunctata, Fischer Cat. Col. Karel. p. 17. n. 120.

Caput magnum dense villosum, antennis nigris nudis.

Thorax niger, dense griseo-villosus, canaliculatus, postice transversim impressus, supra medio punctis tribus impressis splendidis.

Elytra pallide flava, punctis quinis inæqualibus unoque apicis suturæ utrique elytro communi nigris.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

152. Mylabris *octonotata.*

M. villosa, nigra; elytris pallide flavis punctis octo inæqualibus nigris.

Long. 4 lin. Lat. 2 lin.

Mylabris octopunctata, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 17. n. 119.

Quandam habet similitudinem cum præcedente sed minor est, villositas ejus rarior puncturaque elytrorum diversa.

Caput nigrum nitidum fere nudum cum antennis raro pilosis.

Thorax niger, griseo-pilosus, profunde canaliculatus, punctis duobus latere impressis.

Elytra pallide flava, punctis inæqualibus nigris: 2, 2, 3, 1. Puncta prope suturam majora sunt et elongata, externa s. marginalia minora; punctum apicis fere triangulare.

Hab. in Songoria. D. Karelin.

153. Mylabris *intermedia.*

Tab. III. f. 5.

M. atro-azurea; elytris ochraceis, fascii binis et lunula apicis atro-cœruleis.

Long. 5 lin. Lat. 2 lin.

Videtur esse intermedia inter *variabilem* Bill-

BERG, et *variegatam* ILLIGER, sed multo minor est et fasciæ diversæ formæ.

Caput magnum nitidum, atro-cœruleum.

Thorax ejusdem coloris; non pilosus, fere glaber.

Elytra ochracea subpunctulata, fasciis et lunula atro-cœruleis. Fasciæ potius maculas magnas repræsentant medio petiolo parvo confluentes. Lunula apicalis magna, lata est et prope suturam paullo adscendit.

Hab. in Songoria. D. KARELIN.

154. MYLABRIS *marginata*.

Tab. III. f. 6.

M. atro-cœrulea; elytris flavescentibus, linea marginali hamata punctisque quatuor atro-cœruleis.

Long. 4 ½ lin Lat. 2 lin.

Elongata et angustata.

Caput valde dilatatum, intumidum, atro-cœruleum nitidum, antennis nigris.

Thorax ejusdem coloris pilis raris obsitus, impressionibus vulgaribus.

Elytra elongata ochracea, linea hamata aut potius vitta inferius sinuata punctisque quatuor atro cœruleis; puncta tria sunt suturalia, suturæ communia eamque tota longitudine limbo tenui

nigro cingentia, qui in lunulam apicis vix percipiendam terminatur.

Non ignoro, FABRICIUM speciem nomine *Mylabridis marginatæ* designasse, (Syst. Eleuth. II. p 82. n. 6); verum enim vero hæc, teste BILLBERG (Monogr. Mylabris. p. 73), secundum typum in Museo Paykull, *Lyttæ* species est.

Hab. in Dauria ;—in Songoria.

155. MYLABRIS *quadrisignata.*

M. atra ; elytris nigris, macula longitudinali humerali fasciaque versus apicem flavis.

Long. 4 ½ lin. Lat. 1 ½ lin.

Mylabris quadrisignata, GEBLER in lit.

Similitudinem quandem offerre videtur cum *marginata*, sed coloribus mutandis.

Caput nigrum nitidum, antennis extrorsum valde incrassatis.

Thorax niger, nitidus, raro-pilosus, utrimque restrictus.

Elytra elongata, atra, macula longitudinali s. vitta abbreviata humerali et fascia lata sinuata versus apicem ochraceis.

Hab. ad fluvium Kalfkir. D. GEBLER.

LYTTA Fabricii.

156. Lytta *togata.*

Tab. III. f. 1.

L. villosa, viridi-ænea ; elytris punctulatis, vitta marginali lata coccineo-aurea.

Long. 8 lin. Lat. 3 lin.

Lytta togata, Fischer, Cat. Col. Karel. p. 17.

Magnitudine *Lyttæ vesicatoriæ* et paullo major.
Caput magnum, viridi-æneum, punctulatum, oculis aureis, ore piloso; antennis nigris nudis.
Thorax viridis, raro-pilosus, punctulatus; impressionibus vulgaribus. Scutellum magnum triangulare.
Elytra smaragdino-viridia, punctulata, s. tenuissime granulata, vitta marginali lata flavo-aurea.
Corpus æneo-nitens, pectore viridi, totis pilosis. Pedes coccinei coloris.
Hab. in Songoria. D. Karelin.

Addere liceat sequentia :

Conferenda : *Analecta* ad *Faunam insectorum rossicam*; Fischer in Bull. de la Soc. IV. 1832. p. 428—440. c. tabb. V. VI.
Recenter accepta :

157. Carabus *Stschukini.*

C. cupro-æneus ; thorace quadrato marginato punctato ; elytris elongato-ovatis, granulatis, gra-

nulis planis distantibus triplici serie, interstitiis trilineatis.

Long. 9 ½ lin. Lat. 4 ½ lin.

Caput nigrum vertice lævi nitido, facie punctulata, oculis glaucis.

Thorax quadratus, cupro-æneus, punctulatus, marginatus, margine lato reflexo.

Elytra elongata-ovata, marginata; granulata, granulis planis distantibus triplici serie, interstitiis lineatis, lineis trinis elevatis, adpressis, subcrenulatis. Margo punctatus, punctis latis impressis.

Corpus nigrum, nitidum. Prosternum latum, profunde sulcatum, post articulationem pedum subito geniculatum, et in conum deplanatum, in fovea mesothoracis articulantem, abiens. Coxæ posticæ latæ, depressæ.

In honorem Cl. Simonis Simonidis Stschukini, Sodalis nostri, Consiliarii Status, antea Directoris Gymnasii Irkutskensis, qui colligendis et conservandis insectis plantisque suæ regionis bene meruit de historia naturali Rossiæ.

Hab. in Dauria. D. Stschukin.

158. Carabus *dimidiatus*.

C. niger opacus; thorace subcordato, obscure æneo; elytris elongato-ovatis granulatis, granulis elongatis interstitiis linea dimidiata parum elevata.

Long. 7 lin. Lat. 4 lin.

Caput nigrum, fronte lævi nitida, oculis magnis prominulis.

Thorax subcordatus, subæneus, subpunctatus, submarginatus, marginibus parum reflexis.

Elytra elongato-ovata, nigra, opaca, granulata, granulis elongatis, interstitiis punctis impressis rudibus. Duæ lineæ elevatæ baseos inter suturam et primam seriem granulorum et inter hanc et tertiam abbreviatæ, usque ad elytrorum dimidium tantum descendentes.

Corpus nigrum, opacum. Prosternum elevatum, læve, splendidum, apice subsulcatum.

Hab. in Dauria. D. Stschukin.

159. Carabus *interruptus.*

C. niger, opacus, subparallelus; thorace transverso; elytris costatis, costis parum elevatis, omnibus lineolis transversis interruptis, punctisque latis impressis triplici serie.

Long. 10 ½ lin. Lat. 3 ½ lin.

Caput nigrum, opacum, oculis glaucis, impressione interoculari profunda. Palpi longissimi.

Thorax transversus, subtilissime punctatus, opacus, antice paullo dilatatus, marginatus, margine postice utrinque dilatato, exserto.

Elytra subparallela, opaca, costata, costis angustis coarctatis, omnibus lineolis transversis impressis constanter interruptis. Puncta impressa triplici serie potius plana repræsentant, granula oblonga exserentia. Margo parum dilatatus, creberrime punctatus.

Corpus nigrum nitidum. Prosternum intumidum, elevatum, sulcatum, apice æque cum fovea mesothoracis articulationem inire videtur.

Hab. in Dauria. D. Stschukin.

160. Necrophorus *frontalis.*

N. niger, nitidus; elytris vage punctatis, feminæ immaculatis, maris vitta marginali maculaque rotunda apicis subrubris.

Long. 1 poll. Lat. 6 lin. *maris,*
1 poll. 5 lin.—6 — *feminæ.*

Magnam habet similitudinem cum N. *germanico*; clypeus coloratus, vitta lateralis, antennæ ejusdem coloris, sed *frontalis germanico* multo major est, vittaque lateralis multo latior non nisi mari propria est.

Caput magnum productum, fronte linea lyriformi circumscripta, glabra; splendida. Epistoma subtriangulare, marginatum, rubrum vel flavum. Labrum profunde emarginatum, fuscum. Color epistomatis maris etiam in labrum transit sive trans-

lucet. Vertex angustus, longus, punctatus, nitidus. Antennæ nigræ, ultimo articulo clavæ fulvo.

Thorax rotundatus, nitidus, antice subsinuatus, latere et postice late marginatus et explanatus, disco convexo splendido, prope medium utrimque foveato. Scutellum magnum; triangulare, maris proportione majus, medio costatum.

Elytra nigra, nitida, vage punctata, maris vitta marginali et macula rotunda apicis admodum magnis flavis vel ferrugineis.

Corpus nigrum nitidum; pedes fortes, tibiis et tarsis anticis valde dilatatis. Prosternum breve, interpedali fere nullo, coxis magnis globosis sese adtingentibus. Mesothorax feminæ dense longeque pilosum, maris nudum.

Hab. in Bucharia.

Nota. Cel. GYLLENHAL, *Insecta suecica* I. p. 258. dicens, observatione ad *germanicum*: « variat rarius puncto apicis elytrorum rufo », *frontalem* tanquam varietatem rariorem *germanici* considerat.

161. NECROPHORUS *particeps.*

N. niger, nitidus; elytris punctato-subscabris, vitta marginali et fascia bi-lunulata apicis flavis.

Long. *maris*: 7 lin. Lat. 3 ½ lin.

— *feminæ*: 9 — — 4 —

Magnitudine N. *maritimi* Eschscholtz et paullo minor. Characteres admodum inter utramque speciem conveniunt.

Caput nigrum, vertice et fronte canaliculatis. Epistoma feminæ flavo-maculatum, maris colore non tinctum. Oculi plani, nigri. Antennæ nigræ clava aurantiaca.

Thorax quidem rotundus et marginatus, sed impressionibus valde recedit a reliquis. Impressiones anticæ quatuor pariunt tubercula rotunda canalisque dorsalis postice tubercula duo majora producit.

Scutellum magnum triangulare, medio sulcatum

Elytra nigra nitida, punctis impressis scabra. Vitta flava marginalis angusta in fasciam apicis desinit bi-lunulatam.

Corpus fere opacum. Mesosternum valde pilosum in utroque sexu.

Hab. in Turcomania.

162. Necrophorus *sulcatus.*

N. niger, immaculatus; elytris sulcatis, interstitiis punctatis.

Long. 7 lin. Lat 3 lin.

Minimus videtur esse hujus generis.

Caput valde productum, splendidum, oculis pro-

minentibus magnis fuscis ; fronte angustata, elongata, splendida. Epistoma quadratum. Labrum bifurcatum, ramis distantibus, medio setis ferrugineis repletum.

Thorax elongato-rotundatus, postice paullo restrictus, antice recta abscissus, ciliis ferrugineis donatus, impressionibus transversalibus; latere posticeque late et tenue marginatus.

Scutellum longum triangulare, basi fovea triangulari.

Elytra sulcata, interstitiis crebre punctatis.

Corpus opacum, mesosterno longe piloso.

Hab. in Anatolia.

PANDARUS Megerle.

Dendarus, Dejean, Steven.

163. Pandarus *femoralis.*

P. niger, subnitidus ; elytris obliterate punctatis, femoribus anticis compressis, versus apicem dilatatis, denticulatis.

Long. 6—7 lin. Lat. 3 $^1/_3$ lin.

Caput nigrum, opacum, nutans, vertice et fronte punctulatis, impressione lineari inter oculos. Epistoma et labrum, quadrata nitida.

Thorax subrotundus, pulvinatus, glaber, nitidus, tenue limbatus. Scutellum minimum.

Elytra tenuissime et obsolete punctata, convexa, sericea, postice subacuminata.

Corpus nigrum, nitidum. Pectus simile Blaptibus. Femora antica compressa versus apicem dilatata, et inferius sulcata. Sulcus sæpius ita profundus est, ut versus apicem utrimque dentem s. adpendiculam relinquat.

Hab. in Anatolia.

INDEX


GENERUM COMMEMORATORUM.

INDEX

TABULARUM.


Tab. II. f. 1. Dila lævicollis, Gebler. p. 113.
2. — Bärii. 114.
3. — Herbstii. 114.
4. — foveata. 116.
5. Peltarium halophilum. 111.
6. — bicostatum. 108.
7. — punctatum. 109.

Tab. III. f. 1. Lytta togata. 135.
2. Mylabris elegantissima, Zubkoff. 135.
3. — 11—punctata. 131.
4. — Tauscheri, Eschscholtz. 130.
5. — intermedia. 132.
6. — marginata. 133.




Cicindela

1. *Burmeisteri*; 2. *Schrenkii* Gebl.; 3. *Kirilovii*.
4. *Cleonis imperialis* Karel.



Dila 1. *laevicollis.* Gebl.; 2. *Bärii*; 3. *Herbstii*;
4. *foveolata*; 5. *halophila*.
Peltarium 6. *bicostatum*; 7. *punctatum*.

Schagaloff. del.



Lytta 1. *togata.*
Mylabris 2. *elegantifsima;* 3. *11-punctata.*
4. *Tauscheri Esch;* 5. *intermedia;* 6. *marginata.*

Schegoliff. lit.